



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1620 usque ad annum 1623

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1777

VD18 90118855

Liber CXCIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67344](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67344)



HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ

CONTINUATÆ.

LIBER CXCIII.

PAULUS V. PONTIF. MAXIMUS.
FERDIN. II. OCCID. IMP.



§. I.

Prælii Pragensis initium.

Superaverat jam montem cum tre-
centis Equitibus Robertus Grie-
nius, & San-Julianus, consiste-
bantque obliqua serie ad cornu dexte-
Hist. Eccles. Tom. LVII. **A** rum

Sæc. XVII.
A. C. 1620.
*Le Blanc.
Hist. de Bav.
tom. 4.*

Sæc. XVII. rum hostilis exercitus. Hora igitur
 A. C. 1620. præmeridiani temporis prima prælio da-
 tum est initium, & tubarum clangor,
Annal. Boic. & tympanorum sonitus pugnantium stu-
 dia accendebat, præprimis vero *Pater*
Meteran. *Dominicus Carmelita*, manu præseferens
lib. 40. p. 309 *Christi Crucifixi simulacrum*, necnon ex
Theatr. Euro-rop. p. 461. collo Beatæ Virginis imaginem ab hæ-
Barre Hist. reticis deturpatam, aciei primæ milites
d'Allem. hortatur, *Et nunc ad hos, mox ad illos*
tom. 9. *conversus pugnatuos incitat, alacres extol-*
Bell. laur. *lit, hæsitabundos animat, atque universis*
Austr. l. 4. *nil hæsitans victoriam ex Alto promittit.*
Biscl. Leo Simul eodemque temporis puncto utrin-
Galeat. Ve- que audiuntur horrenda tormentorum
ridic. Germ. tonitrua, scloporum innumerabilium
Jæger. Hist. fragor, ac simul fulgure, fulmine, fu-
Eccles. mo, nidoreque nitrato cum immani
Gloria Bellic. fragorum tonitru, ruptus ac confusus
l. 10. c. 6. aer insonat, ingeminatur militum cla-
 mor, & dum Cæsarei montem conscen-
 dere conspiciuntur, tunc rursus laxata
 belli tormenta, tunc nudatis ensibus
 minaciter ab hæreticis in Cæsareos,
 Boiosque conclamatur, & Catholicis
 sanguis, & mors, & internecinus inte-
 ritus denuntiatur: contra quæ a Cæ-
 sareo milite haud innoxia tormento-
 rum explosione eo fidentius responsum
 est, quo feliciter Cæsarei impetu per
 acclivia pronò hostilium globorum tem-
 pestatem eludere. Vix autem Bohemi
 Cæsa-

Cæsareo-Boicos propius monti immi-
 nere cernebant, cum sese totas in vi-
 res colligunt, portisque castrorum e-
 rumpunt. Infestis armis & animis con-
 curritur, ac cominus utrinque pugna-
 tur & acriter, ancipiti tamen Marte.
 Hic prælii status perstitit ad horæ di-
 midium, cum Princeps Anhaltius Ju-
 nior cum suis Equitibus, tum Turianus
 quoque, & Joannes Bubna in Cæsareos
 conglomeratis agminibus irruerent,
 mox Tieffenbachiana legio fluctuare,
 Verdugus eminus infestatus cedere, ca-
 ptoque Preunero ejus legio diffluere,
 & miles hinc illinc dilapsus signa de-
 ferere conspicitur. Sequitur illico Bo-
 hemorum ingens clamor, victoriæ spes
 & augurium, quo animati ferocius Cæ-
 sareos, quasi ubique profligatos, inva-
 dunt, tria vexilla occupant, & cæsis
 non paucis quosdam Centuriones ca-
 piunt.

§. II.

*Victoria a Catholicis de Bohemis re-
bellibus reportata.*

Iniqua hæc prælii fors, sicut Maximi-
 liani Ducis solertiam fallere haud
 poterat, ita ejus animum intimo mo-
 rore laniebat; quocirca hinc curarum
 plenus, illinc præfagii Carmelitici fide
 A 2 tutus,

Sæc. XVII.
 A. C. 1620.

Caramuel
 Dom. l. 5. c. 4.
 Brachel. l. c.
 Annal. Boic.
 §. 62.

Sæc. XVII. tutus, Patrem Dominicum accessit, in
 A.C. 1620. quiens: *quomodo res agitur? nostri su-
 giunt, hostes inclamant victoriam, quam
 nobis spondesti?* Ad hæc vero Domini-
 cus exclamabat, *ubi ergo est Deus Eliæ,
 ubi fides vestra! irruite in hostem, certissi-
 ma est victoria, quam tamen non torpore,
 sed sanguine & labore lucrabimur, his
 dictis ipsemet conscenso equo, datoque
 ad restaurandam pugnam signo. Christi
 Crucifixi effigiem in manu, & Beatæ
 Virginis imaginem in pectore tenens,
 in aciem progreditur, in hostes se in-
 fundit, ac militiæ Cæsareæ Principes
 his verbis hortatur: *Ubi sunt misericor-
 diæ tuæ antiquæ Domine? Exurge & ju-
 dica causam tuam Deus, & tua quidem
 illa est causa, quæ Matris tuæ: vos autem
 confortamini, & viriliter agite, & Deus
 pacis erit vobiscum.* Iteratæ hujus pro-
 missionis fiducia erectus Dux, Tillio
 ad se accersito præcipit, ut nulla mora
 Cratzius Bavarici Equitatus Tribunum
 in Anhaltinos immitteret. Hic igitur
 cum quinque promptissimorum equitum
 centuriis Principem Anhaltinum adori-
 tur, atque in hunc unum omnem bel-
 lici furoris vim effundit, eodemque
 temporis vestigio Liechsteiniana & Bau-
 riana legiones tanto impetu hostilem
 Equitatum invadunt, ut Cæsareis sociam
 operam præstantibus non modo dilapsi,*

ac

*Octav. Pan-
 cirol. Tesoro
 della cita di
 Roma.
 Hist. di
 Ferd. III.
 dal Galeaz-
 zo Gualdo
 Priorato
 Bald. chro-
 nic. moral.
 p. 1228.*

ac nutantes, suos ordines restaurarent, sed etiam liberato Preunero, hostium acies dissiparentur, ipseque Anhaltinus graviter vulneratus ex equo procideret, a Guilielmo Verdugo captus. Prima hæc Palatinorum strages Cæsareæ victoriæ existit principium; mox enim Turiani & Bubnæ legiones solutis ordinibus signa deferere, secumque torrentis instar pleraque Bohemorum agmina parem in desperationem trahere cæperunt; terrore autem insolito, quo jam ante duas incæpti prælii horas non modo homines, sed & jumenta obruta fuisse testabantur captivi, ad Hungarorum stationes propagato, hi quoque metu dissipati, quo cuique patebat ad fugam via, erumpunt, ac perterriti huc illucque feruntur. Instabat fugientibus hinc miles Cæsareo - Boicus, illinc Cosaccus, quorum impressione Hungari, prædæ, ac sarcinarum, quibus onusti erant, cura nondum abjecta, per montis declivia ruentes, magna eorum parte ferro trucidata, ceteri in Moldaviam profluentem effuso cursu præcipites acti fuere, ubi deprimentibus corpora rapinis, metuque cursum urgente, & mortem accelerante, plerique fluminis violentia abrepti hausti- que perierunt. Bohemi quoque, qui Stellatum saltum, castra & montis juga

Sæc. XVII.
A. C. 1620.

Nicol. Bellus
l. 4. p. 457.

Sæc. XVII. tenuerunt, cum Maximiliani Ducis ius-
A. C. 1620. su Cæsareos in altum eniti, & dirutis
 munimentis, direptisque tentoriis a-
 crius se premi cernerent, ingenti clade
 protriti, tandem confusis ordinibus fu-
 gam arripuere, projectis etiam armis,
 quæ paulo ante ad Cæsaris & Catho-
 licorum ruinam, necnon ad libertatis
 vitæque suæ tutelam sumpserant. Us-
 que adeo pavor ab Alto immissus etiam
 auxilia formidat. Anhaltinus quidem
 Senior Princeps, cum jam amplius fu-
 gam inhibere nequiret, per Centurio-
 nes suos iusserat, ut fugitivi Brandi-
 fium, haud procul a Praga dissitum,
 sese reciperent, rursusque colligerent.
 Ast in tanta rerum confusione, animi-
 que consternatione imperium a paucis
 perceptum, pauciores executi sunt, ac
 plurimi viarum ignari, alii terrore ac
 instante victore aliorum abrepti, spre-
 to Ductorum imperio abjectaque Fride-
 ricianæ causæ cura, sparsim dilapsi
 sunt. Remanserant tamen in Stellato
 saltu millia aliquot Fœderatorum, qui
 misso ad Maximilianum seciali vitæ ve-
 niam supplicando impetrarunt. Ita
 unius horæ spatium tam validus Prote-
 stantium exercitus, qui ex Germanis,
 Anglis, Batavis, Scotis, Hungaris,
 Bohemis, Moravis, Silesitis, & Au-
 striis quibusdam adhuc rebellibus con-
 stabat

stabat, fufus, fugatusque Deo auspice, Sæc. XVII. A. C. 1620.
 præclaram Catholicis cecit victoriam: inde iterato comprobatum experimen-
 to, quod si cauffa iuftitiæ agitur, e-
 ventus infelix erit raro, fi fimul & fi-
 dei, nunquam. Erat hæc plane Ex-
 celli dextera, quæ uno icu Bohemiam
 fubjugavit, Auftriam coercuit, Mora-
 viam reduxit, repressit Silefiam, Hun-
 gariam recuperavit, ac Cæfari ablatum
 diadema auctoritatemque reftituit, ac
 denique Religionem Catholicam ex cap-
 tivitatem in libertatem afferuit. Ad per-
 petuam vero posteritatis memoriam ob-
 fervandum venit, quod hæc victoria a
 Cæfareis fuerit reportata eodem in lo-
 co, quo Bohemi exauctorato legitimo
 Rege fuo Palatinum Electorem in Re-
 gem fuum falutarunt, & in fuper eadem
 die, qua in Ecclefia univerfa legebatur
 Evangelium: *reddite quæ funt Cæfari,*
Cæfari, & quæ funt Dei, Deo. Porro
 numerus cæforum non omnino comper-
 tus est, variantibus in eo fcriptoribus;
 fed quis aut in victoria aut in fuga co-
 pias numerat? Sunt tamen, qui ex
 Bohemis, Hungarisque novem ut ma-
 xime millia, alii fex millia ferro truci-
 data, aut undis haufa memorant:
 Capti funt Anhaltinus & Turrianus ju-
 niores, tum Styrumbius, Rheingravius,
 Schlickius, & Vinarienfis Dux, præter

Khevenhill.
t. 9 p. 1098.
Caraf. com.
de Germ.

Sæc. XVII. A. C. 1620. Tribunos & gregarios milites quamplurimos: vexilla militaria ultra centum erepta unacum Friderici Palatini prætoriano, in quo expressa erat cælestis Sphæra cum hac inscriptione: *Divertinescio*: Tormenta decem grandiora, & apparatus bellici, curruum, farcinarumque ingens copia Victoribus cessit. Ex parte vero Catholicorum gloriose occubere Baro Peterffemius, Ferdinandus Halfridus, Comes Meggavius, Rechbergius, & Carattæus Neapolitanus præter ducentos, & vix amplius, milites gregarios. Tantulo impendio tam ingens victoria stetit: vulnerati numerabantur plures aliquanto, sed levius, gravioribus tamen affecti plagis vix plures centum, atque inter eos Wahlius Comes, & Godefridus Papenheimius, qui inter cadavera repertus, atque in castra Bavarica relatus, magno hostium in futurum malo convalluit. Postea Hispani ductore Spinola Fridburgum, arcem Rüdelseimsem, & Münzbergensem necnon Wezlariam, Gelenhusium pluraque alia loca victoribus armis suis subjecerunt.

§. III.

*Fridericus Palatinus ex arce Regia
in Silesiam profugus.*

Inter

Inter hæc Fridericus Palatinus, intellecta suorum clade hyemalis sui Regni finem, exitiumque imminere, probe prospexerat; propudiosæ autem hujus fortis Authores hic Princeps aliqui naturæ dotibus & indole commendabilis, præcipuos habuit Abrahamum Scultetum Prædicantem, & Cameraarium Pseudo-politicum, quorum consiliis corruptus Elector Deo fidem, Templis reverentiam, Cæsari Regnum & obsequium, Catholicis Religionis libertatem, & Ecclesiasticis bona eripere attentabat, ac in se vindicis Dei iram provocabat, prout ipse Christianus Princeps Anhaltinus in sua ad Fridericum epistola haud obscure his verbis innuebat. „Deus, qui ad voluntatis suæ stateram humanos casus ponderat, flagellum suum extendit contra nostras impietates, offensas, & enormitates, quarum nos omnes rei sumus, & merito redarguimur. Hic idem Deus militum nostrorum potissimos ita animis destituit, ut vix credibile sit, quod tam gravi ac subitaneo terrore plusquam sæmineo, in unico momento tot millia hominum, quos paulo antestrenuos, sui que officii memores deprehenderam, deprimi potuerint; vix enim in hostis conspectum venerant, injussi sclopos in aerem explodebant.

Sæc. XVII.

A. C. 1620.

*Gramond.
Hist. Franc.**Becman.
Anhalt. Hist.
p. 5. l. 3. c. 1.
S. 33.*

Sæc. XVII. „moxque metu obruti, laxis habenis
 A. C. 1620. „fuga dilapsi sunt, quin amplius cohiberi
 „possent. „ Proximæ autem ruinæ Fri-
 derico præludebat immodicus Elisa-
 bethæ uxoris suæ fastus, ac blasphe-
 ma in Christi imaginem impietas; præ-
 terquam enim, quod Christi e Cruce
 pendentis Statuam e ponte Pragensi
 (frustra quidem ob tumultus popu-
 laris metum) dejici postulasset, insu-
 per quotiescunque per pontem transire
 cogebatur, ne hanc imaginem conspi-
 ceret, averso vultu impiam hanc vo-
 cem protulit: *Nolo Balneatorem istum
 nudum vel semel aspicere*: Huic insuper
 accessit sensim non modo ab Elisabetha,
 sed ab ipsomet Friderico alienatus sub-
 ditorum animus: Proceres enim, qui
 novas in Austria Præfecturas, & im-
 mentos ex Anglia thesauros sibi a no-
 vo Rege pollicebantur, spe sua frustrati
 ab eo alienabantur: vulgus quoque in-
 commoda belli, tributorum gravitatem,
 & hostilem æque ac proprium militem
 per viscera Regni grassantem tacite
 execrabantur, Lutheranis insuper Tem-
 plorum & Christi Crucifixi imaginum
 devastatio displicebat (*): haud parum
 etiam

*Const. Pe-
 regr. Bucq.
 itin. quadr.
 pag. 158.
 Theatr. Eu-
 rop. tom. I.
 p. 280.*

(*) Hanc in rem Weismanus in sua Hist.
 Eccl. Sæcul. XVII. licet ipsemet ejusdem esset
 sectæ,

etiam novi hujus Regis contemptus Sæc. XVII.
 augebatur, ex eo, quod sese nimis A.C. 1620.
 familiarem & sæpius ultra Regium fa-
 stigium redderet, Pragæ etiam cum
 sæce populi publice se lavare visus: Exin
 neglectus & contumacia adversus eum
 ejusque jussa oriebantur, necnon con-
 fusa consilia: pecunia, aliaque ad bel-
 lum necessaria perperam administrata,
 miles disciplinæ insolens, ignavus, ad
 imperia Ductorum piger, & ob tardius
 soluta stipendia fremens: Insuper mi-
 nus affecti Palatino, præsertim Centu-
 riones ac Ordinum Magistri majori parte
 Pragæ morabantur, officiis suis negle-
 ctis: Nobilibus etiam Mulieribus Bo-
 hemis haud levis offensionis occasio fuit,
 quod Palatinæ Nobiles nudis pectori-
 bus incedere non erubescerent. Has
 ob causas in recenti potentia dilabea-
 tis ignominia, varie rumor de Friderico
 quandoque verus, sæpe etiam maledi-
 cus

Puffendorff.
l. 1. §. 33.
Lud. Camer.
Epist. p. 32.

sectæ, de Prædicante tamen Sculteto hæc ha-
 bet pag. 859. *eo nomine reprehenditur, quod*
in arce Pragensi sub imbecillitate & incerta Regi-
minis Domini sui initia Iconoclastem continuo
egerit, omnesque imagines inde projecit, in-
evitabili cum scandalo Papistarum, & Luthe-
ranorum, imo & imminutione amoris & affe-
ctus in Regem novum.

Sæc. XVII. Sæc. 1620 cus spargebatur. Referunt nonnulli, eum infausti prælii die a quodam Belliduce suo invitatum, ut in Stellatum nemus veniret, & spectaret aprorum venatum, alludens in Bavaros & Bucquoios, ipsum vino se jocisque dedisse, admonitum vero de strage suorum, exhausto poculo, crySTALLUM illam e fenestra projecisse, his verbis: *Qui casus est hujus vitri, idem sit & Regni nostri!* Præterea Gramondus Austriacæ Domui parum propensus Scriptor de Friderico hæc habet: *Plane indignus Fridericus, qui per suffragia in Regem legeretur; Decretorium illi erat Pragense prælium: quis credat, quo tempore conferebantur pro ipso manus, Ludicris Pragæ intentum fore & tripudiis inter fæminas? postquam instructæ in prælium acies, recipit se Fridericus effæminatus homo in urbem, sub cujus muris agebatur de summa rei Palatinæ, de Corona Bohemica, de Imperio Occidentis: certe vel hoc uno tam iniquæ electionis indicio, digni Bohemi, qui jure electivo privarentur, si quod habuerant.*

l. 4. p. 254.

Ut ut sit de acerbiori hac Gramondi censura, id omnino certum est, quod Fridericus, suadentibus Turriano Seniore & Hocheloe, qui desperata victoria, mature se Pragam contulerat, ad Bavarix Ducem Legatos miserit, viginti quatuor horarum spatium peti-
turos,

turos, tentandæ compositioni. Cum Sæc. XVII.
autem hic octo duntaxat horas conce- A. C. 1620.
deret, ea lege, ut Fridericus Regno
Bohemiæ, annexisque Provinciis cede-
ret, ac interim ad Cæsaris obsequium
reverteretur, hic desperatis rebus, &
male feriatorum consilio delusus, & ne
a Bohemis Cæsari traderetur, veritus,
eadem adhuc die noctis beneficio e Re-
gia Pragenfi arce unacum uxore & li-
beris in Pragam veterem, altera vero
die convalatis, quantum per festinatio-
nem licuerat, rebus raptim Praga ex-
cessit, corona & insignibus regni una-
cum Archivio relictis. Inde comitan-
tibus eum Principe Anhaltino Seniore,
Comite Turriensi & aliquibus Bohemiæ
Dynastis Wratislaviam in Silesia con-
tendit. Silesios ad constantiam horta-
tus, spe facta, res suas afflictas mox
aliorum Principum ope reparatum iri.
Ast cum Moravos jam Cæsaris se cle-
mentix commisisse, ac Silesios Saxoni
ad deditonem invitanti aures præbere
intelligeret, Berolinum, & inde ad
Batavos una cum Vinariensi Duce con-
cedere statuit, decrefcente hyemis a-
fperitate per Westphaliam Hamburgum
delatus: ubi ab Hollandiæ Ordinibus
perhonorifice exceptus, & in Palatio
Henrici Principis diversatus est, nec-
non singulis Mensibus decem floren-
rum

*Newill. hist.
d' Holland.
tom. I.*

Sæc. XVII. rum millia ad sui, suorumque sustentationem a Republica recepit, frustra implorato Jacobi I. Soceri sui auxilio, misso etiam incassum in Angliam Joachimo Rusdorffio. Ad tam miseram denique conditionem redactus erat Fridericus paulo ante Palatini Comes, & S. R. I. Elector, nunc per ludibrium dictus *Rex solstitialis, Rex Zephyricus seu hyemalis*. Præterea Periscelidem adamantibus intexam, quæ Friderico fugam acceleranti exciderat, Guilielmus Verdugus invenit, eamque Maximiliano Duci velut opimum spoliolum obtulit. Paulopost Turcarum Imperatorem instigante Proto-Vezirio, ducenta armatorum millia in opem Friderico obtulisse, hunc vero ejusmodi auxilia detrectasse, referunt Protestantium scriptorum nonnulli.

*Pap. Rev.
Germ. epitome p. 10.
Lotich. l. 9.
c. 3. p. 253.*

§. IV.

Pragæ deditio, & Victorum ingressus.

*Annal. Boic. p. 3. l. 5.
le Blanc. Hist. de Bav. t. 4.
Carafa l. c.* **P**ostquam rebellis exercitus vires unico lapsu prociderant, minoris Pragæ Cives a suo Rege derelicti, & a Directoribus turpiter delusi, nulla mora aliquot ex Optimatibus ablegarunt, qui Maximiliano Duci victoriam, adventumque gratulati, claves urbis offerrent,

rent, omne obsequium, fidemque pol-
 liciti. Hos igitur Maximilianus pro
 innata sua clementia tam Catholicos
 quam Sectatores nullo facto discrimine
 in fidem, ac deditioem accepit, in-
 violatosque conservavit, sub capitis
 pœna non modo Bavaris, sed & Cæ-
 sareis copiis imperans, ut intacta ferro
 corpora, rapinisque bona omnium,
 cujuscunque Religionis, aut conditio-
 nis essent, ex æquo præstarentur: quo
 facto Maximilianus Dux, & Bucquoius
 Comes, militibus per urbis contuber-
 nia distributis, urbem ingressi sunt,
 deditios cives ab omnibus injuriis
 aut deprædatione vindicantes. Hac
 Ducis clementia animati Veteris & no-
 væ Pragæ Ordines misso Caduceatore
 deditioem spondebant, addita tamen
 hac lege, ut triduum dilationis ac de-
 liberationis spatium concederetur. Ast
 Maximilianus horum subjectionem ad
 fortunæ flatum esse versatilem subodo-
 ratus, respondit, se nec trium quidem
 horarum spatium indulgere, sed ab hoc
 momento se suaque Ferdinando Regi
 suo dederent; quo responso territi Opti-
 mates se Cæsaris Ducisque clementiæ
 commiserunt: Dein Maximilianus duas
 legiones portis admoveri jussit, quæ
 militem ingressu prohiberent, ipse vero
 Regiam per Ratschinum ingressus, gra-
 tiarum

Sæc. XVII.
 A. C. 1620.

Sæc. XVII. A. C. 1620. tiarum vota in Templo Deo pro victoria exsolvit, locumque, ex quo seditiosi Bohemi tres illos Cæsaris Ministros e fenestris præcipites dederunt, non sine indignatione perlustratus est. Tum vero, inquit Carafa, non modo Catholici, sed & hæretici Catholici nomen affectabant, signum Rosario, vel Breviario, aliove libello exprimebant, & refugium apud aliquem Religiosum, vel sub umbra alicujus Ecclesiæ quæritabant: videre erat pessimos Calvinistas, seditiosos Picardos, duros Lutheranos in Monasteriis latitantes, quo etiam thesauros suos detulerant, & absconderant, ut verum esset illud Davidis: *cum multiplicarentur necessitates eorum, tunc acceleraverunt.* Omnes denique hæreticæ sectæ ministri timore inutili omnino trepidabant, latitabant, & Sectam suam abscondebant.

Cum autem præclari illi Bohemiæ Directores, seu verius rebellionis Principes, qui sese fuga nondum abstulerant, sibi præ ceteris metuerent, hinc eorum quinque unacum Guilielmo Popelio, Religionis Catholicæ Desertore Maximilianum adiere, atque, ut eis privilegiorum confirmationem, sectæ libertatem, immunitatem a militari præsidio, ac præteritorum oblivionem concederet, audacter petierunt. His Ducis nomi-

nomine Preisingius Landishutanus Sæc. XVII.
 Prætor paucis quidem, tam graviter A.C. 1620.
 tamen, ut eis lacrimas exprimeret, respondit, ut præprimis arma ponerent, iniquorum foederum tabulas, litterasque Majestatis traderent, ac Ferdinando tanquam Regi suo fidem jurerent, quod ab eis quoque præstitum: eorum vero postulata ad eundem Cæsarem remissa. Decima autem Novembris die Bohemis militibus, qui in urbe veteri Pragæ ex fuga se collegerant, Maximilianus per Haimhusium imperabat, ut sese e vestigio ex urbe proriperent, qui tamen additis etiam minis se abituros negabant, nisi prius Ordines debita octodecim mensium stipendia repræsentassent: verum ab Haimhusio duris verbis, minisque excepti, se die postera (ut re ipsa factum) discessuros spondébant. Sequenti die tergemina civitas Pragensis, necnon Bohembroda urbs per literas novo jure jurando sese Cæsari devovit. Postea Ecclesiæ Metropolitanæ Præpositus Simon Brofius Hornsteinius, Caspar Radbusæus Decanus, absente Joanne III. Lochelio Archiepiscopo, quem rebelles perpetuo proscriptum declarabant, ac Vienne profugere compulerant, nomine totius Cleri victoriam Duci gratulabantur, supplices, ut in Cæsaris tutelam

Piascius
 p. 828.

Sæc. XVII. receptis fortunæ eorum & Sacrorum in
A. C. 1620. arce Regia sedes erepta redderentur.

His igitur singulari benevolentix significatione exceptis Dux spem restitutionis certæ fecit, data in promissi pignus dextera. Pari humanitate Optimates & Nobiles Catholici fuere admissi; Lutherani vero, eoquod nec Iconoclasmo, nec Calvinistarum consiliis, & rebellioni nec civili bello se libere assensisse dicerent, seorsim a Maximiliano Duce audiri petierunt, quod eis quoque concessum. Dein sex autographa conjunctionum, quas cum sex Provinciis contra Ferdinandum Regem inierant, unacum tricennis voluminibus, quæ Directorum acta complectebantur, ac post prælium inventa fuere, Maximiliano, Bucquoio & Lichtensteinio sunt exhibita, quæ omnia Dux ad Cæsarem transmisit, Ordinibus vero hanc sacramenti legem imposuit: *Nos Ordines fatemur, nos gravi crimine offendisse Ferdinandum II. Romanorum Imperatorem, legitimum, hæreditarium, coronatum, sacro ritu inunctum, & ab Imperio agnitum atque receptum nostrum Regem; a quo correptis armis descivimus. Id dolemus & ex animo factum nolumus, deinceps autem nos præter Ferdinandum II. Imperatorem neminem pro nostro legitimo, vero, justo Bohemix Rege habituros, sed eum*
unum

unum veneraturos debita observantia, ob-
sequio, ea, qua a subjectis, atque clientibus
fieri oportet fide, atque probitate
spondemus, Et præterea omnibus, quæ se-
cus haberent, promissis, juramentis, scæ-
deribus, consociationibus, cum quibuslibet
adversus eundem contractis abrenuntiamus,
eadem illa rescindimus, abolemus, Et ex-
tinguimus: quæ proinde omnia solemnî
Sacramento protensis in Cælum digitis
confirmamus, Et per tabulas ejusce rei
testes, quas intra viginti quatuor horas
trademus, nostris etiam Chirographis, si-
gnisque munitas, ad futuræ in his exe-
quendis, Et fide servanda, constantiæ mo-
nimentum. Ad hæc pollicemur, nos Re-
gium Bohemice diadema cum gemmarum
thesauro, quem in Curia Veteris Pragæ
seposuimus, D. Wenceslai Sacrario, quod
est in æde principe, reddituros.

Hæc quoque die decima septima
Novembris reipsa præstiterunt. Auditi
postea sunt bini Angliæ Legati, qui pa-
cis media prorsus vaga proposuere. Tan-
dem Dux reditum suum ad diem de-
cimam septimam Novembris indixit,
ac Principem Liechtensteinium Regno,
Tillium vero militiæ præfecit, necnon
Saxonie Electorem de Bohemice statu
certiorem reddidit. Demum vero una-
cum Archiepiscopo Pragensi omnes
Clerici antea ejecti fuere revocati, in-
B 2 que

Sæc. XVII.
A. C. 1620.

Sæc. XVII. que pristinas sedes ac bona restituti,
 A. C. 1620 restaurata Tempa, altaria, & sacræ
Imagines, ac denique Religionis veræ
 usus non sine ingenti Catholicorum læ-
 titia revocatus.

§. V.

*Literæ Maximiliani Ducis ad Papam,
 ejusdemque responsum.*

Rebus ita in Bohemia dispositis Maxi-
 milianus, priusquam Praga Mona-
 chium abiret, pro summa sua in sacram
 Sedem Apostolicam reverentia, sequen-
 tes dedit ad Paulum V. Pontificem
 literas.

Beatissime Pater!

Respexit tandem Deus Ecclesiam
 suam, ejusque hostes debellavit, il-
 lustri sane victoria, quæ jure merito
 victoria Dei vocetur. Nos equidem &
 venimus & vidimus, pugnaeque præ-
 sentes fuimus, sed vicit optimus Deus;
 cui nos omnem victoris titulum gratif-
 sima mente ex solido adscribimus. Ve-
 re manus Domini nobiscum fuit, quæ
 hostem tam potentem devicit. Nec si-
 ne singulari Dei providentia factum vi-
 detur, quod cum hoste congressi simus
 ipso omnium Sanctorum octavo die,
 qu

qui idem fuit cum Dominica vigesima Sæc. XVII.
 secunda post Pentecosten, qua ritu Ro- A. C. 1620.
 mano Evangelium prælegitur: Reddite
 ergo Cæsari, quæ sunt Cæsaris. Red-
 didit certe Palatinus Elector Fridericus
 quamvis invitus, qui ubi cladem sui
 exercitus accepit, cursoribus equis una
 cum conjugè Regina clam Praga ces-
 sit, & vel hoc ipso Catholicum agmen
 vicisse professus est. In qua Dei vi-
 ctoria (sic appellemus) quædam pror-
 sus admiranda. Hostis erat numero-
 sus, nec veterani militis robore care-
 bat. Hunc locus etiam ipse fecit au-
 dacem; nam in monte, medium mil-
 liare ab urbe Praga distante, instructis-
 simam contra nos aciem direxit; &
 quamvis nos cum universo exercitu
 tota pene nocte iter fecerimus, eo so-
 lum fine, ut hostem assequi, & cum
 eo configere liceret: conflictus tamen
 iste initio nobis admodum iniquus vi-
 debatur & impar, cum hostes in op-
 portunissimo sibi loco nec minus munito
 facilem in nos pugnam habuerint. At
 demum præmissa deliberatione ante
 omnia Deo fidendum, & ope divina
 nitendum esse rati, ex iniquo etiam &
 inferiore loco hostem aggressi sumus.
 Videbatur quidem noster exercitus sub
 initium nonnihil nutare, sed mox re-
 sumptis animis ea alacritate ivit in

B 3 hostes,

Sæc. XVII. hostes, ut eos brevi e monte profligaret, tormenta ænea majora occupavit, omnibus adversæ partis aut cæsis, aut in fugam actis. Ita dispersi, fugati, fusi, cæsi hostes ad internecionem: nec prius destiterunt nostri, dum fuga dissipatos, ad ipsam usque Pragam insecti, varia in eos cæde grassarentur: eoque cæsorum numerus excrevit, ut quatuor millia intersectorum numerentur, cum a parte nostra vix ultra ducentos desiderati, centeni fere læsi sint. Præter tot ex hostium numero cæsos, quingenti capti, inter eos Principis Anhaltini filius, qui etiam graviter læsus & duo Comites. In eadem hac pugna præter centum vexilla, decem quoque majora curulia tormenta hostibus sunt erepta. Ungari, multis eorum jam prostratis, ut fuga se servarent, in Moldau flumen se præcipitarunt transnaturi: sed mille circiter in aquis interiisse dicuntur. Et hæc quidem pugna post longam velitationem, ad horam tenuit, die, ut dictum, omnium Sanctorum, qui sese de suis hostibus insigniter sunt uli.

Die sequenti, qui fuit nonus Novembris, & Dedicatio Basilicæ Salvatoris, pars una Pragæ deditias ad nos misit literas, se in Cæsaris potestate posthac futuram: altero ab hoc die tam
vetus

vetus quam nova urbs Praga obedientiam Imperatori, sine exceptione omni promiserunt. Ita hoc anno Austria Superior omnis Cæsari subiecta, inferior tranquillata, & ab hoste liberata, complures Bohemiæ tam urbes, quam arces captæ, ante Pragam hostilis exercitus profligatus, Praga occupata. Et hæc Beatissime Pater, Dei fuit victoria, nobis nihil inde decerpimus: Deus vicit, & felicem hunc belli eventum dedit: quamvis nondum bellum omne finitum censeamus. Exurget forsitan (quod Deus avertat) sequenti anno valentior bellorum flamma, cui restin- quendæ majoribus, & sumptibus & vi- ribus sit opus. Hæc Sanctitati Vestræ compendio narrare, simulque Ecclesiæ Catholicæ gratulari par erat. Sancti- tati Vestræ quamplurimum me com- mendo, & ut filius obediens ad pedum osculum reverenter submitto. Pragæ 12. Novembris Anno 1620.

Sanctitatis Vestræ.

Observantissimus

MAXIMILIANUS.

Ad hæc literas paterno prorsus af- fectu Pontifex Deo, ac Bavariæ Duci victoriam gratulaturus, ita respondit.

B 4

Dilecto

Sæc. XVII.
A. C. 1620.

Dilecto Filio, Nobili Viro,
MAXIMILIANO,

Duci Bavarix:

Dilecte Fili, Nobilis Vir, Salutem & Apostolicam benedictionem. Felicissimum, & supra quam dici potest, Nobis & universæ Christianæ Republicæ optatissimum Pragensis Victoriæ nuntium attulerunt literæ Nobilitatis tuæ. Quam quidem victoriam, ut de immensa Dei potentia & benignitate, nec non singulari tua virtute, eximiaque prudentia confidentes, non dubia spe præfagiebamus: ita nunc de ea tam copiose, tamque mirabiliter parta, immortales ei, qui facit mirabilia magna solus, gratias agere non desistimus, tibi vero in visceribus Jesu Christi unice Dilecte Fili, totius Ecclesiæ Christi nomine, cui immeriti præsidemus, ex intimis præcordiis gratulamur, quod nimirum res adeo præclaras tam fortiter, tam brevi tempore gesseris, ut, quemadmodum scribis, veneris, videris, & Deo Duce viceris perfidos Christi hostes, & Romano Imperio rebelles. Laudet, Fili, usque ad mortem, anima nostra Dominum, quoniam adjutor, & protector factus est nobis. Equidem Nobilitatis tuæ literis lectis, toto spiritu

ritu exultantes Ecclesiam sanctæ Mariæ Majoris continuo petivimus, ibique humiliter prostrati cum lacrymis, de summo accepto beneficio debitas cum Auctori bonorum omnium Deo, tum ejus Sanctissimæ Matri gratias egimus. Sanctorum omnium, in quorum Solemnitatis octavo die victoriam divinitus tibi delatam fuisse scribis, ut minime dubitandum sit, quin tibi pro gloria Dei strenue dimicanti hujusmodi cælestis exercitus auxilium illa die præsens adfuerit. Ad hujus porro beneficii magnitudinem, quam grato possumus, animo prosequendum, solennes indiximus in hac urbe supplicationes, ab Ecclesia S. Mariæ, quam appellant supra Minervam ad Ecclesiam S. Mariæ de anima, ad quam nos venientes Sacrosanctum Missæ Sacrificium omnipotenti Deo in gratiarum actionem obtulimus. Nullum certe erit tempus, quo collati eximii doni memoria ex animo nostro deleatur, quin semper in dies magis magisque vigebit, sicut & Nobilitatis tuæ illustris virtus, tuorumque gestorum immensa gloria perpetuo nobis ante oculos versabitur: omnisque consequens ætas meritis illam laudibus celebrare non desistet. Nec est, quod aliquo pacto vereamur, ut ista tua virtus unquam defatigetur: quin

B 5

firmi-

Sæc. XVII.
A. C. 1620.

Sæc. XVII. firmiter sperare debemus, eam ex ipsis
A.C. 1620. pro Christi atque ipsius Ecclesiæ hono-
 re feliciter susceptis laboribus, majores
 quotidie vires accepturam, deque
 Christiana Republica majori etiam, si
 fieri posset, conatu optime promoveri
 nunquam cessaturam. Quo sane fiet,
 ut antiquæ Bavaricæ familiæ decora
 tuis factis indies exornentur, & cumu-
 lentur, & ipse temporalis atque etiam
 æternæ felicitatis amplissimum præ-
 mium ab eo, qui est liberalissimus re-
 munerator, consequaris. Nos certe
 tantum Nobilitatis tuæ meritis tribui-
 mus, ut quæ unquam a nobis atque
 hac sancta Sede in te, tuamque fami-
 liam officia proficisci poterunt, ea sem-
 per vobis parata fore pro certo habeas,
 velimus. Interim Nobilitati tuæ a Do-
 mino secunda omnia optamus & preca-
 mur, & iterum paterna nostra & Apo-
 stolica benedictione toto cordis affectu
 benedicimus. Datum Romæ apud
 Sanctam Mariam Majorem sub annulo
 Piscatoris die 3. Decembris 1620. Pon-
 tificatus nostri anno decimo sexto.

Idem summus Pontifex die decima
 nona Decembris ad Bucquoium literas
 dedit, eumque ob singularem fortitu-
 dinem commendans, ad ulteriores pro-
 gressus pro Catholicæ Religionis & S.
 R. Im-

R. Imperii dignitate ac salute con-
 quenda hortatus est.

Sæc. XVII.

A. C. 1620.

Ceterum non minus impie, quam
 infulse Heterodoxus quidam Scriptor
 ad hæc Pontificis literas sequentem
 addidit animadversionem: *Innocuus tot
 Christianorum sanguis profusus, Religio
 purior Evangelica oppressa, libertas con-
 scientiæ in vincula redacta, materia San-
 ctissimo scilicet Papæ fuit immensæ læti-
 tiæ. Sed non diuturnum illud infernale
 gaudium fuit; vale enim mundo Paulus
 quintus, sive Saulus furens dixit statim
 post mensis spatium.*

Itane innocuus sanguis profunditur,
 dum post contemptas omnes pacis ho-
 nestæ conditiones, repudiata etiam,
 quæ rebelles subditi tanquam rebellio-
 nis suæ causas a legitimo suo Principe
 antea petierant, postulata, & incassum
 adhibitam clementiam & patientiam
 toties fatigatam, tandem Princeps li-
 cet invitus ferrum adhibet, ne ipsemet
 rebellium ferro pereat, aut Majestatis
 suæ sanctitatem ipsemet prodat? Er-
 gone innocui sunt, qui unice Catholi-
 corum bonis & sanguini inhiant? forte
 Evangelica eorum charitas ac doctrina
 suadet, ut Catholici nocentes credan-
 tur, quia Catholici, innocui autem
 sint Protestantes, si Catholicos truci-
 dant, si conscientiæ libertatem jacti-
 tantes,

Sæc. XVII. A. C. 1620. tantes, seditiones in suos legitimos Principes, quia Catholici sunt, concitant, & exinde sanguinis Christiani profusionem caussant. Apage cum hisce nugis; hodieum usque adeo cogniti sunt hi serpentum sibili, ut nequidem simplices iis amplius falli queant.

Ceterum Imperator hanc victoriam sibi a Deo violatæ Religionis vindice concessam ac B. V. patrocinio obtentam probe cognoverat, quapropter in grati animi testimonium Viennæ solemnem ad Ecclesiam D. Stephani supplicationem decrevit, & re Divina peracta per Cardinalem Dietrichsteinium concinno sermone Dei misericordiam æque ac justitiam deprædicari iussit, ac postea auream coronam gemmis Ornatam unacum aliquibus hostium vexillis Romam in honorem B. V. ad Scalam transmisit, ipse vero unacum fratre suo Archiduce Carolo ad Ecclesiam B. Mariæ Cellitanam profectus, votum Deo, & B. Virgini nuncupatum persolvit oblatiis maximi pretii muneribus, inter quæ itidem existit corona multis coronis intexta, quæ servatum Imperii, Hungariæ & Bohemiæ Diadema demonstrabat, gratissimumque Cæsaris animum exprimebat. Maximilianus interim Ferdinandum Imperatorem, literis proprio chirographo munitis de felici Pragensis prælii

prælii successu certiolem reddidit, ac vicissim ab eo per literas grati animi testes die vigesima quinta Novembris, & iterum die secunda Decembris honoratus est. Tandem vero Dux comitante eum Patre Dominico a Jesu Maria, ejusque socio Patre Petro a Matre Dei Monachium die vigesima quinta Novembris ingressus est, Erdingæ a Guilielmo Duce Serenissimo Maximiliani Parente, & Landishuti ab Elifabeta ejus Coniuge, ac Alberto fratre suo inter festivas mutui affectus significationes exceptus. Paulopost jubente summo Pontifice idem Pater Dominicus Viennam ad Ferdinandum Cæsarem profectus, summo honore a Cæsare & Augusta recipitur, accurrente populo, ac ubique tanquam Victori acclamante: suam vero gratitudinem erga eundem Patrem Imperator, non modo plurimis testabatur beneficiis Ordini suo exhibitis, sed potissimum immota sollicitudine, qua pretiosam Venerabilis hujus Viri memoriam publicis Ecclesiæ honoribus perennari adlaborabat: Eo ex fine Cæsar sequentes literas post P. Dominici obitum ad Philippum IV. Hispaniæ Regem dederat.

*Die II. 8^o
15. Junii
Anno 1631.
Hist. Prov.
Aust. t. I.
num 10.*

Dum sub Imperii Nostri administratione Catholicam fidem in ditionibus Nobis subiectis indies nullis non insensibus impeti,

Sæc. XVII.
A. C. 1620.

Sæc. XVII A. C. 1620. *peti, ac laceſſiri videmus, merito patrocini-
um Sanctorum, qui verum Dei cultum
in Ecclesia virtute, & morte ſua confir-
marunt, potentiffimum Deſenſionis Noſtræ
munimentum habemus. Innumera Divinæ
gratiæ, & meritorum exempla recensentur
de Carmelitarum Diſcalceatorum quondam
Sacerdote Dominico a Jeſu Maria, cujus
ſummam vitæ integritatem, & erga Deum
amorem, Eccleſiæque ſuæ promovendæ Ze-
lum nos ipſi non minus primis temporibus,
cum is hiſce in partibus verſaretur, quam
nuper, & poſtquam ex Pontificia licen-
tia ad Noſtram requiſitionem conceſſa, ex
urbe ad nos redierat ad ultimum ejus vi-
tæ ſpatium (quem in hac propria noſtra
Aula piiffime emiſit) cum maximo noſtro
ſolatio ſpectavimus. Quod vero inter ce-
teras ſuas memorandas actiones non mi-
nime gloriæ locum obtinet, id præſertim
numeramus, quod circa rebellionis Bohe-
micæ initium exercitus noſter ad Pragen-
ſem civitatem, ubi de ſumma rerum age-
batur, illius hortatu & benediſtione con-
fiſus hoſtem tam feliciter aggreſſus ſit, ut
inſignem illam obtinuerit victoriam velut
ceterorum omnium proſperorum ſucceſſuum,
quos Divini numinis benignitas hætenus
pro totius Religionis Catholicæ, Auſtria-
cæque Dõmus Noſtræ beneficio Nobis con-
ceſſit, ſcaturiginem. Quæ Viri facta nos
continuis animi Noſtri cogitationibus re-
colen-*

colentes, quanto magis ea perpendimus, **Sæc. XVII.**
 tanto majores rationes, ob quas animam **A. C. 1620.**
 illius cælitum consortium obtinere indubie
 credendum sit, comperimus; ita ut eum
 de cujus cælesti gloria non dubitamus,
 merito inter humanos Sanctitatis honore,
 & ornamento minime relinquendum judi-
 cemus. Cur autem maxime nostra cura
 hunc honorem Viri ad Sanctorum Cata-
 logum adscriptione, a Beatitudine summi
 Pontificis processibus solemniter more insti-
 tuendis obtinere studeamus, instigant ani-
 mum tum impensa gratitudo, quam a no-
 bis multis beneficiis ab ipso acceptis
 debere agnoscimus, tum firmissima spes,
 qua Reipublicæ Christianæ ex ipsius in-
 tercessione, cum eam hisce officiis Nostris
 promeriti fuerimus uberrima contra hæ-
 reticas machinationes protectionis subsidia
 promittimus. Qui enim inter hæc ma-
 chinationes vitam quibusvis sanctis operi-
 bus consummavit, ejusdem meritis expe-
 ctare non possumus, nisi præsentissimum,
 & maxime opportunum contra easdem
 remedium: Hoc itaque animo, hacque fi-
 ducia expedivimus Reverendissimum, devo-
 tum, nobis dilectum Fratrem Hieronymum
 Dominum S. Theologicæ Doctorem Ordinis
 Carmelitarum Regularis observantiæ per
 Germaniam Generalem Commissarium, &
 electum Episcopum Cathariensem, ut pro
 singulari nostra fiducia, quam in spectata
 illius

Sæc. XVII illius prudentia, integritate, & rei Ca-
 A. C. 1620 tholicæ studio locatam habemus, intentioni

Nostræ prosequendæ initium faciat, ac omnibus in locis legitimam super vitæ dicti Patris Dominici a Jesu Maria a-
 ctionibus, & successibus informationem con-
 quirat. Ac proinde cum in Hispaniarum præcipue Regnis, ubi notus sit, & magnam vitæ partem consumpserit, plurima miranda cum ejus persona successerint, hisce Serenitatem Vestram quam amanter requirimus, rogamusque, ut ex præfato electo Episcopo Cathariensi desiderium nostrum pluribus percipere, eique hac in parte non solum plenam uti nobis ipsis fidem adhibere, sed commissionem & suam Nostri gratia, quantum illa ratione fieri poterint benevolentissime promovere velit. Id, quod Serenitatem Vestram eo propensius studiosiusque facturum arbitramur, quod agatur hic de Viro, suo olim subdito, & utrique Parenti suo Serenissimis Regi & Reginae pie defunctis quam optime noto atque gratissimo, veluti noster Consiliarius Intimus Camerarius, & ad Serenitatem Vestram ablegatus Ordinarius Orator Illustris Comes Fuggerus, Serenitati Vestræ, quamprimum ad eam pervenerit, idem negotium oretenus quoque summa diligentia commendaturus est, ita ipsam certam esse cupimus, nos officia sua in eo impensa inter gratissima, quæ nobis obvenire possunt, sinceri sui
 erga

erga nos amoris Symbola habituros: in eorumque vicissitudinem, merita perpetua gratitudine Nostra nullibi non insigniter testaturos. Quibus eidem serenitati Vestrae omnis felicitatis cumulum impensissime exoptamus.

Haud absimiles literas idem Ferdinandus Imperator per Comitem a Sche-
neberg ad Franciæ Regem, & Maximilianum Bavaricæ Ducem, aliosque Principes dedit: Hic idem pientissimus Dux imaginem B. Virginis a quodam hæretico fæde deturpatam, quam P. Dominicus in prælio circumtulera-
t, affabre exornatam per eundem Patrem Dominicum Romam deferri jussit, quæ postmodum anno Christi millesimo sexcentesimo vigesimo secundo in ara summa Ecclesiæ Patrum Carmelitarum Discalceatorum in Monte Quirinali ad *Victoriam* dictæ collocata, ac publicæ venerationi exposita, multisque donis, & sexdecim hostium vexillis (quorum quadraginta quinque Romam in trophæum B. Virginis de Victoria missa fuere) aucta ac condecorata est: Ad hanc Ecclesiam eadem die solemniter decernebatur supplicatio, cui ipsemet summus Pontifex, cuncti Cardinales, & Ecclesiæ Prælati præter innumeram Romani populi multitudinem interfuere.

Sæc. XVII.
A. C. 1620.

Merc. Franc.
t. 7. p. 397.
Ludolph.
Theatrum.
pap. 70.

Sæc. XVII.
A. C. 1620.

§. VI.

Moravi, Lusatii & Silesii Protestantes ad Cæsaris obsequium revocati.

*Carafa
Germ. rest.
pag. 91.*

Cum vero Moravi se a Bohemis derelictos, & a Cæsareis undique pressos cernerent, Oratores, qui præteritorum veniam, & privilegiorum confirmationem exorarent, ac vicissim fidem obsequiumque sponderent, Viennam ad Cæsarem ablegare decreverant: comperto autem horum consilio, Turrianus Comes Senior, validi subsidii spe facta, illos ab hoc proposito dimovit: Fredericus quoque ex Vratislaviensi suo exilio celeres nuntios ad Moravos decreverat, qui illos datæ fidei admonerent: nec defuit Bethlenius, qui Hungarorum suppetias, quibus patriam tuerentur, proxime se submissurum pollicebatur. Postquam vero die duodecima Decembris Bucquoius Praga Moraviam versus cum Cæsareis copiis moverat, Moravorum legati obviam eidem venire, nuntiantes, se ad omnia ejus iussa fore paratos. Hic vero nil aliud ipsis imperabat, nisi ut Cæsaris clementiæ sese subicerent, quod etiam, Carolo Tschherodino Viennam missis, nulla mora præstiterunt, urbis suæ portis ultro aper-

Sæc. XVII.
A. C. 1620.

apertis, & Olmutii, Brunæ & alibi restituta Catholica Religione. Ad horum exemplum Lusatii quoque, postquam Saxonæ Elector Forstiam, Lubaviam, & Gubam occupaverat, suam fidem Cæsari obstrinxerunt. Soli Silesii aliquantulum tardius in Cæsaris obsequium rediere, partim scænici sui Regis præsentia animati, partim sectæ suæ ejurandæ periculum veriti: ubi vero, dissimulante Cæsare, Saxonæ Elector de eorum privilegiis, & Lutheranæ Religionis libertate ipsis cavisset, imo etiam, si hæc violari contingeret, auxilium suum pollicitus esset, ultro sese dederunt, licet eos vehementer dehortaretur Jægerndorfius Brandenburgici Electoris Frater, qui in Silesia adhuc omnia perturbabat. Paulopost civitates Imperiales Cæsari victoriam gratulatæ, se suaque omnia ad ejus obsequium detulerunt, imo Argentoratenses, Norimbergenses, & Ulmenses magnam auri vim ultro Cæsari obtulere, ut hic militi de stipendiis satisfacere, & victoriam multo felicius profèqui posset. Præterea Spirensis Episcopus Udenheimii propugnaculum, quod Palatinus injuste detrui jussit, annuentibus Electore Moguntino & Bavariæ Duce hoc anno restauravit.

Sæc. XVII.
A. C. 1620.

§. VII.

Lutheri secta, exclusis aliis, in Bohemice Regno ad tempus tolerata.

*Caraf. comm.
de Germ.
rest.*

Postquam Maximilianus Bavaricæ Dux Praga discesserat, ad Liechtensteinium Principem Cæsaris legatum mox, ut inquit Carafa, *Blaterones verborum Dei, quos vulgus Prædicantes vocat, trium urbium sese obtulerunt, demisseque postularunt, ut sibi, suisque Pragæ, & in Regno manere, ac docere liceret. Quod ut impetrarunt, summa, sed ficta moderatione aliquamdiu docuerunt Lutheri dogmata. Calvinistæ vero a Religionis exercitio prohibiti sunt; donec aliter fieri concederetur. Verum omnes quotquot erant, repudiata doctrina Calvinii, Lutheranam, neque hanc valde integram sequebantur. Huc sese referebant Picarditæ, Anabaptistæ, Hussitæ, & similis sectarum colluvies, quæ sub Lutherani nomine tutum sibi patrocinium pollicebatur, quam tamen Cæsar non ita postproscripsit. Perseverabant Pragæ in aliquot Ecclesiis Hussitæ, non minus a Catholicis discordes, licet vere Hussitæ non fuerint: sed illos Calvinismus, & Atheismus seduxerit, nec erat qui aliam sectam, quam August-*

gustanam verbo profiteretur. Summa Sæc. XVII.
 difficultas in agrorum, & vinearum A. C. 1620.
 restitutione fuit; sesquianno enim, quo
 Directores rem œconomicam direxe-
 rant, multa millia Clero abstulerunt,
 Ecclesiasticorum agros vendiderant, in-
 super oppignoraverunt integras mona-
 steriorum colonias, imo integra mona-
 steria in compensationem laborum, aut
 creditorum laicis tradiderant. Plassa,
 Tepla, Cotissoviium jam erant in manu
 Baronum; Bifonium in manu Dominæ
 de Suanberg, quæ & tegulas templi
 abstulerat, ut horto voluptuario deser-
 virent; Strackonitzium milites devo-
 rarant, Braunowia comiti de Turn ces-
 serat: reliqua omnia collegia vicinis
 oppidis erant ad beneficium regium ad-
 dicta. Verum non ita post victoriam,
 omnia decreto Cæsareo restituta sunt,
 coactique nonnulli etiam conductum,
 damnum & fœnus persolvere eorum,
 quæ recenter retinuerant, vetustiora
 tamen sacrilegia tenacius adhuc con-
 sistebant.

§. VIII.

*Bethlenii in Hungariæ Regem electio
 a Cæsare damnata.*

Die nona Decembris Engolismensis *Bellus l. 4.
 p. 485.*
 Dux cum ceteris Franciæ legatis, *Merc. Eu-
 quirop. t. 9. l. 2.*

C 3

Sæc. XVII. qui Tirnaviam ad Bethlenium pro pace
A. C. 1620. procuranda profecti erant, inde redux
 Viennam advenit, referens, quod Beth-
 lenius Regium diadema Possonio Alten-
 solium, ne Palatinus Elector Regno in-
 hians hanc coronam sibi vendicaret, in
 Cæsaris gratiam transtulerit, de cete-
 ro regiæ dignitati, ad quam invitus
 fuisset vocatus, nuntium mittere para-
 tus esset, dummodo Cæsar cum foede-
 ratis Provinciis pacem inire vellet. At-
 tamen Ferdinandum haud latebant se-
 ditiosa Bethlenii consilia, qui accepto
 Pragensis cladis nuntio die decima
 sexta Novembris Pefinga literas ad Hun-
 garos dederat, quibus eos ad foederis
 constantiam, & sectæ suæ defensionem
 hortatus, pollicebatur, quod non mo-
 do cum exercitu suo, quem adhuc in-
 tegrum servasset, sed cum extero milite
 hostem repressurus, ac hyemis oppor-
 tunitate in suorum opem, & hostium
 perniciem usus esset, dummodo e-
 tiam peditum legionem, & mille ca-
 taphractos submittere vellent. Cum
 ergo Imperator de sincera Bethlemii
 reconciliatione haud temere despera-
 ret, ne sibi vel Successoribus suis præ-
 judicium ex injuriosa, ac ipso jure nul-
 la ejus in Regem electione generetur,
 die decima Decembris, diploma publici
 juris fecit, in quo Bethlemio omnes
 ipsius

ipfius machinationes, violentias, ac Sæc. XVII.
 fcclera exprobrans, fuæque rebellionis, A. C. 1620.
 ac ufurpationis obtentus enervans, hanc
 fui electionem, injuftam, violentam,
 iniquam, feditiofam, juribus, & Regni
 confuetudinibus contrariam, ac proin
 penitus nullam auctoritate Regia de
 clarabat. *Præterea, profequebatur Im
 perator, quicquid in Conventu Pofoniensi,
 aut Novizoliensi, contra jura noftra Regia,
 contra Ecclefias Dei, ac ftatum Ecclefia
 fticum, contra leges, libertates, ac antiquas
 Regni noftri Hungariæ laudabiles confue
 tudines, contra fideles noftros tam Eccle
 ftiafticos, quam fæculares, quoquo modo ftat
 utum, decretum ac definitum fuit, id to
 tum penitus caffamus, annullamus, illegiti
 mum, injuftum, invalidumque pronuncia
 mus: neque illorum Conventiculorum ftatu
 ta, robur aliquod ullo unquam tempore ha
 bere volumus; fiquidem & juxta perpetuam
 Regni noftri Hungariæ legem, ac confue
 tudinem, nulla constitutio valida effe poffit,
 quam legitime coronati Regis approbatio
 non firmaverit. Quia vero, ne quid inten
 tatum relinqueremus, quo fæcro Imperio,
 & Regno Hungariæ falus & pax reftitue
 retur, Bethlenio Hungariæ Principis titu
 lum, ea ratione detuleramus, fi ad fidem,
 obedientiamque noftram Regnum Hungariæ
 reduxiffet. Is vero non modo non implevit
 conditionem, fed perfide potius, quantum in*

Sæc. XVII. ipso fuit, Regnum Hungariæ abstrahere a
 A. C. 1620. nobis, & alienare laboravit: Eapropter
 prædictum Titulum Principis Hungariæ,
 penitus cassamus, abrogamus, & abolemus.

Porro cum ad Jurisjurandi Religionem,
 qua ex pervetusta Regum Hungariæ for-
 mula obligamur, non minus quam ad au-
 thoritatem nostram, officiumque Regium
 tuendum pertineat, ne per vim, injuriam,
 ac Rebellionem nobis extorta, aut adempto
 negligamus, frustra hætenus tentatis omni-
 bus, quibus ad sanitatem Rebellium animos
 revocare speravimus, tandem jus nostrum
 armis, quando aliter non licet, asserere,
 Regna ac ditiones nostras ab injusta rapa-
 cissimi invasoris oppressione vindicare, quæ
 nobis indigne adempta sunt, juste repetere,
 subditos nostros metu ac Tyrannide pressos,
 pristinae libertati, quam amissam gemunt,
 restituere, spoliatos, ac bonorum suorum
 possessione deturbatos, sublevare, Rebellioni
 quietem publicam reponere in animum in-
 duximus. Quod quidem eo majore felicis
 victoriæ fiducia facimus, cum si (quod Deus
 omne avertat) nostra conniventia Rebellium
 nostrorum consilia prævalere permetteremus,
 aliud consequi non posse prævideamus, quam
 quod Regnum hoc olim florentissimum, ma-
 gno & ditionum nostrarum Austriacarum,
 & totius sacri Romani Imperii periculo,
 Turcicæ servitutis jugo indignissime sub-
 jiceretur.

Interea

Interea illud incredibili jam nunc animi Sæc. XVII.
 mœrore, mentis nostræ oculis obversatur, A. C. 1620.
 quod paucorum Rebellium nostrorum temeri-
 tate ac insania tot excidia, direptiones,
 cædes, vastitates, quantas bellum intestinum
 secum cum turbine quodam ac procella in-
 vehere solet, miseram, exhaustam, & in-
 noxiam plebeculam sunt oppressuræ: quorum
 omnium nos insontes esse, atque futuros in
 posterum, coram Deo, ac mundo, ad om-
 nem etiam posterorum memoriam sancte pro-
 testamur, illisque luenda atque expianda
 transcribimus, qui rerum novarum studio,
 ac præpostero ambitu, huic luctuosissimo in-
 cendio facem subjecerunt. Deum vero opti-
 mum Maximum justissimæ causæ nostræ,
 quemadmodum in Bohemia nuper celebri no-
 bis victoria concessa, vindicem, Rebellionis
 vero, ac perfidicæ gravissimum ultorem fu-
 turum, spe certa ducimur cum ipsomet as-
 ferente, atque infinitis tam veteris historicæ,
 quam moderni temporis exemplis comper-
 tum habeamus, eos, qui legitimæ resistunt po-
 testati, ipsimet Deo, cui prævalere nemo
 potest, resistere.

Quocirca benigne ac serio monemus Re-
 gni nostri Hungaricæ Palatinum ceterosque
 universos, ac singulos Consiliarios nostros,
 qui nobis nominatim strictissimo jurejurando
 fidelitatem suam obligarunt, ut memores
 Sacramenti, quo nobis obstringuntur, &
 ejus religione illos exsolvere & liberare,

Sæc. XVII. A. C. 1620. nullo modo intendimus, ita se in præfenti
patricæ tumultu gerant, ne coram Deo,
nobis atque universo mundo, officio suo de-
fuisse, ac fidelitatis nobis debitæ rationem
nequaquam habuisse, merito judicentur. Ce-
teros etiam universos Regni Hungariæ Sta-
tus, Magnates, Nobiles, liberarum Civi-
tatum incolas, ac Milites tam præfidiarios,
quam Haydones, ac alios clementer horta-
mur, ut indissolubile vinculum Homagii,
quod tempore Coronationis nobis præfite-
runt, ad animos revocent: a Rebellium se
caussa removeant: eos uti declaratos nostros
Rebelle, & patricæ hostes, armis, opibus,
consilio ne adjuvent: militi nostro ad pacem
Hungariæ reducendam, oppressosque a Ty-
rannide vindicandos, a nobis destinato, ne
ullo modo resistant: quin potius uti fideles
subditos decet, ac propria ipsorum utilitas
expetit, omni ope, atque auxilio juvent.
Meminerint etiam peculiaris jurisjurandi,
quod liberæ Civitates, ac Militaris Ordo,
nobis utpote Regi ipsorum legitimo præfite-
terunt. Cogitent, quæ a nobis ac Domus
nostræ regibus beneficia, jura, privilegia
obtinuerint. Perpendant, an gloriæ ipsis
vel commodo futurum sit, exploratæ virtu-
tis, ac benignitatis Principibus, perfidum
hominem, jus omne, præ perversa in alieno
Regno imperandi libidine, ludibrio haben-
tem, in Turcarum auxiliis (quibus tamen
hactenus conservandorum fæderum major
cura

cura quam Bethlenio fuit) spem omnem col-
locantem, cui ubi se conservare non poterit,
Regnum ipsum in prædam cessurus est, præ-
tulisse. Denique divina ac humana jura
animo reputent, quæ Regibus obedientiam,
ac fidelitatem exacte præstandam, vel cum
vitæ fortunarumque discrimine præscribunt;
neque vero vetera exempla proponere necesse
habemus, cum in oculis sit, quos in pleris-
que ditionibus nostris nefarie contra nos
conflata conspiratio exitus habuerit.

§. IX.

*Cancellaria Anhaltina a Cæsareis
Pragæ intercepta.*

Inter reliquam prædæ suppellectilem,
quæ post Pragensem victoriam Cæ-
sareis amplissima cesserat, non postre-
ma erat Cancellaria Christiani Anhal-
tini: ibidem enim omnia Unito-Prote-
stantium arcana consilia & literæ ultro
citroque missæ, & seditiosæ ac impiis-
simæ Calvinistarum machinationes ad
Catholicæ Religionis extirpationem &
Austriacæ Domus ruinam diu ab iis a-
gitatæ & jamjam, quantum valere, in
usum deductæ, fuerunt deprehensæ, &
simul propriis eorum chirographis &
verbis detectæ sunt.

Cuncta igitur, quæ tum fuere re-
perta, Monachii hoc anno jam tertio
præ-

Sæc. XVII.
A. C. 1620.

*Miræus de
Bell. Bohem.
Cancell. An-
halt. Acta
secreta Lon-
dorp, t. 3.
cap. 1.
Spanheim
nem. de
Louise p. 202.*

*German. Ve-
ridic. p. 123.
Acta publ.
Londorp.
l. 2. 198.*

Sæc. XVII. prælio Theutonice, & anno sequenti latine,
 A. C. 1620. fuerunt edita, ex quibus authenticis
 documentis in præfata Cancellaria re-
 pertis luculenter apparet, quod Unito-
 Protestantes, & Bohemiæ Directores
 totius belli Bohemo-Germanici causa
 & Authores exstiterint, odio in Cæsa-
 rem & Catholicos instigati: Hoc fato
 equidem sperari potuisset, quod adver-
 sarii post eorum consilia tam affabre de-
 scripta, tamque mire detecta, saltem
 tum conscientia tacti ad mentem rever-
 suri essent, & tacendo probrum dissi-
 mulaturi: congenita tamen audacia ex
 Calvinistis quosdam eo adduxit, ut
 spargere non erubescerent, hæc docu-
 menta, quæ in Anhaltina Cancellaria
 fuissent reperta, potissimam partem a
 Guilielmo Jochero Consiliario Bavarico
 adinventa, cetera vero minus integra
 fide fuisse edita & compilata, atque
 ex integro eorum contextu ac tenore
 longe aliud constare: Hoc pudoris ve-
 lamen primus adinvenit Ludovicus Ca-
 merarius Palatini Electoris Consiliarius.
 Hic enim, cum summopere doleret ex
 ejus literis, & consiliis detectum fuisse,
 quod infausi belli auctor, & incentor
 Ferdinandi abdicationem & rebellionem
 Bohemis suaserit, & Friderico plura
 alia seditiosa suggererit consilia, nil a-
 liud promptum, paratumque habebat,
 nisi

nili ut documentorum fidem, auctori-
tatemque suspectam redderet, editis li-
bellis Theutonice scriptis (*). Ast mox
inanem ejusdem conatum evertit qui-
dam Scriptor, Adalbertus Tilkowskius,
seu verius, Jacobus Kellerus Jesuita,
qui sub nomine Fabii Hercyniani suum
Rhebarbarum, necnon *Tubum Gallilæa-
num adversus Camerarii Apologiam* edidit,
ac hujus Calvinistæ frivolas excusatio-
nes, & commenta plene confutavit.
Cum autem alius quidam Calvinista ve-
tus hoc commentum contra integram
horum, ut vocant, originalium docu-
mentorum auctoritatem recoquere ni-
teretur, hancque in rem librum ita in-
scriptum: *Brevis informatio & responsio
solida ad præcipua capita, loca, & puncta
secreta Cancellariæ Bavarico - Anhaltinæ,*
publici juris faceret, pro tuenda fide
ac veritate Catholicus quidam Scriptor
anno 1628. omnia originalia plano stylo
& integro in lucem protulit, atque ex
ipsismet documentis ostendit, quod Pro-
testantes, ut in illicita Episcopatum,
alio-

Sæc. XVII.
A. C. 1620.

(*) Bericht und Antwort, auf die bairisch-
anhaltische geheime Kanzley, item: Vortrag noth-
wendiger Rettung, vornehmer Evangelischer,
Hoch- und niedern Standes, betrangten und ver-
läumden Personen Unschuld.

Sæc. XVII. aliorumque bonorum Ecclesiasticorum
A. C. 1620. invasione sese tuerentur, unione inter
 se inita, jurisdictionem Cæsari in Sta-
 tus adimere, revisionibus, simulque ju-
 stitiæ in Camera Imperiali, & Aula
 Cæsarea sese vi opponere, Imperium,
 & comitia minis terrere, ac demum
 Catholicos paulatim e medio tollere
 proposuerint, præsentique incendio fa-
 cem accenderint, atque omnium ma-
 lorum fomentum & caussam soli submi-
 nistrarint. Hanc in rem in suo libro (*)
 tredecim illa capita, quæ *informationis*
 Author in sui defensionem attulit, to-
 tidem oppositis confutavit. Erant au-
 tem sequentia ipsis Protestantium testi-
 moniis confirmata.

I. Unio

(*) Hic liber ita inscribitur: *Acta secreta.*
 Das ist, der unierten protestirenden Archiv,
 Darinn der Unierten Protestirenden, vor-
 nehme Thathandlungen, Anschlag, und
 zu des Heil. Röm. Reichs, der römisch-
 katholicchen, Kaiser, Fürsten und Stän-
 de, auch anderer höchsten Præjudiz und
 Verfang, vor und nach der Unter Eurs-
 pfalz Directorio geführte, und von langer
 zeithero verborgen gehaltene Consilia, aus
 ihren selbst eigenen, von Wort zu Wort
 beykommenden Originalschriften an Tag
 gelegt werden.

- I. Unio non ad Unitos - Protestantes Sæc. XVII.
A. C. 1620.
Status contra Catholicorum infidias defendendos, sed re ipsa ad Romano - Catholicos in Imperio opprimendos inita fuit.
- II. Protestantium Unio contra Cæsaream Majestatem tanquam supremum Imperii caput, inita & adhibita fuit.
- III. Unionis complices contra Romanum Imperium, ejusque Sanctiones varia machinati fuerunt.
- IV. Uniti, præsertim vero Palatinus, & alia capita, motibus Bohemicis abusi, pacis reparandæ nunquam studiosi, quin potius solliciti fuerint, ne turbæ Bohemicæ componerentur.
- V. Præcipue vero eorum Capita, omnium calamitatum ac motuum in Ungaria, Bohemia, incorporatis & Austriacis regionibus causam, initium & materiam dederunt.
- VI. Comes Palatinus per acceptationem Electionis Bohemicæ, realem occupationem solii Pragensis, & secutam coronationem atque homagii exactionem crimen læsæ Majestatis commisit, atque ea re calamitatum ejus regni, vicinarum regionum, totiusque Imperii causam dedit.

VII.

Sæc. XVII.
A. C. 1620.

VII. Cum diu ante ad id se præparassent, arma & aggressionem Catholicorum in Conventu Norimbergensi, mense Novembri Anno 1619. concluderunt.

VIII. Comes Palatinus unacum Bohemis, & aliis confœderatis se mediante Principe Transylvaniæ, Turcæ tributarium reddere, Turcamque in Romanum Imperium evocare voluit.

IX. Solide probatum fuit, in Bohemia non de Religione, sed de Regione agi.

X. Protestantes in Imperio de nullo externo Dominatu aut jugo a Papa, & Hispano, ut & a Romano - Catholicis sibi metuendum habuerunt. imo Catholicorum sincerationibus, declarationibus, atque promissis, Pacis scilicet Publicæ firmiter servandæ, tuto confidere potuerunt ac debuerunt.

XI. Penes Unionem tempestive nummi defecerunt, resque Unionis clam quidem infirma, exterius vero verbis exaggerata, & minis actum fuit.

XII. Relatio causarum, ob quas unusquisque ex unitorum Statibus suo loco ad unionem se conferre motus fuit.

XIII.

XIII. Spiritus Calvinisticus neminem Sæc. XVII.
 juxta se pati potest. sub se omnes A. C. 1620.
 alios habere vult, & omnis diffi-
 dentia, calamitatum, atque confu-
 sionis in Imperio causa est.

Ut autem Calvinistæ aliqua ve-
 ro-similitudinis specie belli causam
 in Catholicos rejicere possent, eorum
 suasu Fridericus Palatinus Cæsaris a-
 liorumque Principum literas de trans-
 ferendo Palatinatu scriptas, atque ab
 hostibus interceptas publici juris fecit
 sub nomine ficto Cancellariæ Hispani-
 cæ (*): hujus vero criminationis falsi-
 tatem

(*) Calvinistæ divulgatis hisce literis orbi
 fucum facere, atque ob detecta prava eorum
 consilia incurse infamiae dolorem falsa crimi-
 natione in Catholicos rejecta temperare nite-
 bantur, spargentes, quod æque Principes Ca-
 tholici sanguinaria in Evangelicos consilia
 cudissent, ac propterea eorum tyrannis, Bo-
 hemici belli causa extitisset. Eo ex fine
 Christianus Marchio Brandeburgicus Electo-
 rem Saxoniae, ut ipsum a Cæsaris partibus a-
 vocaret, de hoc commento certiores reddi-
 dit, cui tamen Joannes Georgius Elector Sa-
 xonicus die 4. Febr. anno 1622. hæc valde
 notan-

Sæc. XVII. tatem illico detexit auctor libri, cui
 A. C. 1620. titulus: *Litura Hispanicæ Cancellariæ.*

Ceterum majori longe certitudinis auctoritate ac pondere anno 1624. publici juris facta sunt pernicioſa Calvinistarum molimina, & conſilia, quæ quidem poſt captam Heidelbergſem civitatem in manus Catholicorum pervenerunt, integro tamen anno ſuppreſſa fuere, eoquod Catholici credidiſſent
 Calvi-

notanda reſcripſit. Euer Liebten thäten wohl ein gut Werk, wenn ſie den Pfalzgrafen von dieſer unverantwortlichen, und zu Erlangung Fried und Ruh nicht dienenden Sachen emſiger ab, und zu gebühlicher accommodation, und ſubmiſſion anermahnten. Dann was guts daraus werden kann, wann man dasjenige, ſo vorgegangen, verthädigen, behaupten, und nicht Unrecht gethan haben will, ja noch einer Thätlichkeit über die andere ſich unterſängt, geben wir Ew. Liebten ſelbſten zu bedenken anheim, und wird es die Zeit, aber zu groſſen der Landen Schaden eröffnen.

Von den Praktiken, ſo die Catholiſchen wider die Evangelischen fürhaben ſollen, iſt uns nicht wiſſend, noch deswegen ſonſten etwas an uns gebracht worden, wollen ihnen auch ein ſolches nicht zutrauen, ſolte aber in dergleichen
 von

Calvinistas ob detecta Cancellariæ Anhaltinæ arcana nimio pudore esse suffusos: postquam vero Plessius, Camerarius, eisque similes præfatæ Cancellariæ documenta detortis interpretationibus, & artificiosis commentis corrumpere non erubuerunt, hinc, ut adversariorum petulantia magis patefcat, & confundatur, illa etiam perversa hæc consilia prioribus haud abfimilia, prout a quodam seditioso Bohemico

Sæc. XVII.
A. C. 1620.

*Alegamb.
Bibl. Script.
Soc. p. 374.*

D 2

mico

von ihnen in Sinne gekommen, und ins Werk gerichtet werden wollen, so getrösten wir uns des allmächtigen Schuzes, und seynd dessen gewiß, daß seine Allmacht solche Praktiken ja so leicht und geschwind zu Nichte und zu Wasser machen kann, und werde, als geschwind dieselbe denjenigen Anschlägen, so man auf der andern Seite fürgehabt, auch ins Werk zu setzen, sich bemühet, und in dem Buch, die anhaltische Kanzley genannt, an Tag gegeben, gesteuert, und deren Effect gehindert.

Was die intercipirte, und communicirte Schreiben anlangt, haben wir dergleichen Copien von anderen Orten mehr bekommen, aber befunden, daß kein Exemplar mit dem andern übereinstimmt, und von einem Ort anders, dann von den anderen geschickt wird, daher wir nicht wissen, was eigentlich daran seyn mag.

Sæc. XVII. mico Bellici Senatus Præsides Praga
A. C. 1620. Heidelbergam profugo scripta, ac re-
 licta fuere, ad verbum typis edita
 sunt (*).

§. X.

*Disputatio Polemica inter PP. Car-
 melitas Discalceatos & Arianum
 Ministrum Lublini habita.*

*Acta disput.
 Lubl. inter
 Carm. &
 Stat. edit.
 Cracov.
 1621.*

Jam ante quadrienium Lublini in Po-
 lonia publica, & quidem acrior ha-
 bebatur disputatio inter Patrem Joan-
 nem Mariam a S. Joseph Carmelitam
 Discalceatum & Joannem Statorium
 Lublinensem Ministrum, qui Ariano-
 rum nomine in arenam descenderat,
 infausto tamen successu; quippe cum
 ingenti Hæreticorum ignominia & in-
 signi Catholicorum gloria, ut testantur
 acta publica de hoc edita, de falsitate
 suo-

(*) Hujus libri titulus est sequens: *Con-
 sultationes oder unterschiedliche Rathschläg
 der meisten und wichtigsten Sachen,
 welche von Anfang der Böhmischen, und
 andern folgenden Aufständ fürgegangen,
 und zu Werk gericht worden, oder wer-
 den sollen; von Wort zu Wort aus dem
 Original-Protacol, so in der Heidelbergi-
 schen Kanzley gefunden worden, gezogen.*

suorum errorum convictus, recedere
 cogebatur. Hujus disputationis, ac
 successus testes & iudices intererant
 Senatores, & quatuordecim alii tam
 Prælati Ecclesiastici, quam Regii Tri-
 bunalis Iudices atque Equestres Nobi-
 les præter publicum ac juratum Nota-
 rium, qui omnia, quæ objecta aut re-
 sponsa fuere, integra fide consignabat.
 Præfens etiam erat Illustrissimus Pos-
 nanienſis Palatinus; nihilominus Aria-
 ni, ut ignominia acceptæ labem con-
 fueto effugio abstergerent, ubicunque
 poterant, in vulgus spargebant, se vi-
 ctos exstitisse, Carmelitas vero turpi-
 ter devictos hæſiſſe, quinimo Statorius
 ad tantam prolapsus est temeritatem,
 ut disputationis habitæ acta nonniſi no-
 vum quoddam Carmelitæ inventum
 eſſe aſſereret, utque poſteris ſaltem
 illuderet, & convictæ ſuæ pertinaciæ
 ignominiam ſubterfugeret, biennio poſt
 habitam diſputationem acta illius evul-
 gavit, adeo tamen corrupta, ut ne ipſi
 quidem ejus Patroni vel ſequaces ei-
 dem veritatis teſtimonium dare auſi
 eſſent, imo & ex Calviniſtis quidam
 eum falſitatis argueret; non enim ge-
 nuina ad manus habebat Notarii ſui
 acta, utpote quæ ab eo deperdita fuiſ-
 ſe, Ariani coram ipſo Notario Catho-
 lico faſſi fuerant: quocirca Statorius

Sæc. XVII.
 A. C. 1620.

*Acta diſput.
 Zamoſcii
 typis Aca-
 dem. anno
 1617. edit.*

*Anaſtaſ.
 Hiſt. Soci-
 nian. p. 423.
 Sandius*

*Bibl. Anti-
 Trinit. p. 121.*

*Bibl. Car-
 mel. lit. J.
 p. 261. &*

49.

Sæc. XVII. primus disputationem duntaxat, *quantum is memoria, elapso biennio, adhuc consequi poterat*, conscriptam edidit, & causam propriam pro libitu suo enarravit. Hæc ipsa adversariorum petulantia Carmelitas impulerat, ut ex consensu Regis, eorumque, quorum intererat, rursus adversus fidei hostes Lublini hoc anno die quinta Julii publicum indicerent certamen, expositis hisce Assertionibus.

- I. Impium est dicere omnia opera, quamvis justorum, esse peccata mortalia, aut venialia; vel justos divinæ legi non posse satisfacere, cum de fide sit multos satisfacere,
- II. Quamvis fidei tanquam fundamento merito justificatio tribuatur, sola tamen fides ad justificationem non sufficit.
- III. Nullus potest habere certitudinem fidei divinæ sibi dimissa esse peccata, nec fides divina aut omnino certa ad hoc potest esse ad justificationem requisita.
- IV. Justitia & merita Christi non justificant nos formaliter per imputationem, sed meritorie, quia propter ipsa datur nobis vera & inhærens justitia.
- V. Justorum bona opera absolute & proprie sunt meritoria vitæ æternæ,
nec

nec sunt in omnibus justis æqualia merita, aut æqualis gratia & Sanctitas. Sæc. XVII.
A. C. 1620.

VI. Abominandus error est Doctrina Lutheri dicentis: hominem in suis operibus mere passive se habere: & Calvini dicentis solum spontanee & voluntarie: & omnium assentium, liberum arbitrium post peccatum esse titulum sine re, vel rem de solo titulo.

VII. Secundum fidem Deus non est persona una, sed unus in natura trinus in personis: nec hoc mysterium est contra, sed supra naturam, & intellectum humanum: & est inter has personas omnimoda in essentia identitas.

VIII. Æternam & eandem omnino cum Patre divinitatem filio Dei denegare jam pridem damnatus, & semper in Ecclesia damnandus error est, & idem dicendum de processione Spiritus Sancti solum a Patre, & non a Filio.

Hujus disputationis auctoritate publica designati Judices aderant Castellanus Oswiecimensis Mareschallus Reginus, Palatinus Braclaviensis, Castellanus Smidientis, Lubienskius Abbas Tinecensis Regiæ Majestatis Secretarius, & Starzenskius Præpositus Gnesnensis.

Sæc. XVII. nensis. Testes vero rogati interven-
 A. C. 1620. rant Castellanus Zawichostenfis, Præ-
 positus Lenciciensis, Præpositus Wla-
 dislaviensis, Radeckius Canonicus
 locensis, Wieniowiechius Dux, Jas-
 kolskius Judex, Lagiewnickius Judex
 Cracoviensis, Wafowicus Sendomi-
 riensis Palatinatus Judex præter a-
 lios novem diversorum Palatinatum
 Judices. Pro Catholicis Notarii vices
 obibat Christophorus Pawlowskius a
 Lippa, Vice - Palatinus Lublinensis:
 Ariani vero selegerunt Joachimum Rup-
 niewskium. His, plurimisque aliis
 in æde B. V. de monte Carmelo pome-
 ridiano tempore convenientibus, Sta-
 torius pro parte Arianorum discepta-
 turus septimam Thesin impugnabat,
 proposito hoc argumento: *Pater ille, ex
 quo omnia, non est trinus in Personis, Deus
 ille unus est Pater, ex quo omnia, ergo
 Deus ille unus, non est trinus in Personis.*
 Verum ille Carmelita, qui Præsidis par-
 tes agebat, mox Statorii sophisma de-
 texit, opposito haud absimili argumen-
 to dicens: *Adam, ex quo omnes, non
 est multiplex in Personis, sed homo est
 Adam, ex quo omnes: Ergo homo non est
 multiplex in Personis:* Exhibebant Au-
 ditores Statorium tanquam litigiosum
 Sophistam, ut tamen ejus pudori con-
 suleretur, Præses respondit, *quod qui-
 dem*

dem Pater, non tamen ipse solus, sed alia Sæc. XVII.
 etiam Persona sit, ex quo omnia &c. Rur- A. C. 1620.
 sus Statorio, quo se vertat, hærenti
 tandem Joannes Grillus Rector Gym-
 nasii Rakoviensis itidem Arianus sug-
 gessit illum D. Pauli ad Cor. 8. v. 6.
 locum: *Nobis tamen unus Deus Pater,*
ex quo omnia. Exinde longa oriebatur
 concertatio, dum erubesceret Statorias
 fateri se esse victum, nec tamen, quam-
 vis ei focii continuo in aurem insufura-
 rent, negatum probare valeret, tan-
 dem vero sese adeo in arcto deprehen-
 sum agnoverat, ut concedere cogere-
 tur, quatenus ab utroque Notario scri-
 beretur, se quidem teneri negatam pro-
 positionem probare, nec tamen posse,
 quo facto sibi concedi postulabat, ut ad
 aliud argumentum procederet: Stato-
 rius igitur, quod *ille unus Deus sit solum*
Pater, ex quo omnia probaturus, intu-
 lit, quod si Apostolus præter Patrem
 intelligeret etiam Filium & Spiritum
 Sanctum, non recte explicuisset, quod
 explicandum fuisset, scilicet omisisset,
 in explicando uno Deo, duas Perfo-
 nas, de quibus tamen major est con-
 troversia: ubi vero Pater Joannes Ma-
 ria Statorio responderat, quod quidem
 D. Paulus duas Personas ibidem non
 expresserit, utpote non intendens ex-
 plicare totam doctrinam de Deo, sed

Sæc. XVII. duntaxat id, quod pertinebat ad pro-
A. C. 1620. prietatem Patris, propterea tamen non
 ita omiserit has duas Personas, quasi
 negasset aut innuisset, eas non perti-
 nere ad unum Deum, Demum multis
 ultro citroque disputatis, cum Aria-
 nus in Carmelitæ verbis, prout objece-
 rat, contradictionem latere, nequidem
 rogatus, & jussus probare posset, con-
 fusus obmutuit, dudum per varias di-
 gressiones, effugia, & logicales subti-
 litates eluctari frustra adlaborans: un-
 de disputationi finis impositus, mox-
 que ambo Notarii, qui omnia dicta
 scriptotenus exceperant, singula etiam
 argumenta responsionesque palam præ-
 legebant, ut utrique parti quid propo-
 situm, responsumque fuerit, integra
 fide innotesceret, quo facto Præses ha-
 bita brevi oratione proposuit: *Arianos*
tanquam proximos nostros eodem Christi
sanguine redemptos, esse sincere diligendos,
eorum vere hæresin abominandam, eoquod
illa Christum mendacem, & homines blas-
phemos in Christum reddat, quod ubi de-
monstrare parabat, Ariani, etsi ser-
monem audire, a Judicibus impense
rogarentur, confusi abiere: ne autem
ex intempestivo Religionis Zelo peri-
culum vitæ vel injuriam sustinere
cogerentur, sex Patres Carmelitæ il-
los sanos & incolumes ad proprias æ-
 des,

des, reduxerunt. Attamen spatio u-
 nius ferme horæ a finita hac disputa-
 tione, seditione contra Calvinistas in
 urbe exorta prius horum fana, postea
 & Arianorum Synagogæ devastatæ fue-
 runt: quo comperto mox Illustrissimus
 Marecallus de tumultu exorto admo-
 nitus est, & insuper Carmelitæ alios
 Patres ad ipsos Synagogæ devastato-
 res reprimendos celerrime expedivere,
 qui tanto etiam conatu impetum retun-
 dere sunt aggressi, ut unus ex eis fue-
 rit vulneratus, omnesque in summo
 discrimine versarentur: nihilominus
 Statorius, ceterique Sociniani divul-
 gare non dubitarunt, Carmelitas ad
 tegendam suam ignominiam furorem
 populi excitasse, ut nimirum, qui scien-
 tia & doctrina prostrati fuerant, armis
 ac potentia Arianos oppressos vince-
 rent: prævalente autem veritate postea
 compertum habebatur, quod mentita
 fuerit iniquitas sibi.

§. XI.

Bellum Polonos inter & Turcas.

Hoc item anno atrox Polonos inter
 & Turcas fervebat bellum; Osma-
 nes enim Turcarum Imperator pecu-
 liari acerbitalis aculeo Sigismundo III.
 Poloniæ Regi infestus videbatur; ini-
 quo

Sæc. XVII.
 A. C. 1620.

Sæc. XVII. quo enim ferebat animo, quod Rex
 A. C. 1620. Cæsari opem laturus Hungariam, Si-
 lesiam & Moraviam cum Cosaccis suis
 invasisset, non sine magno Gaborei suc-
 cessus impedimento. Insuper impla-
 cabilius adhuc Osmanes Polonis indi-
 gnabatur, ex quo Cosacci in mari ru-
 bro & alibi ingens Turcis damnum, ter-
 roremque Constantinopolitanæ urbi in-
 tulerant: Hinc omni vindictæ genere
 dolorem suum temperaturus, primo
 Poloniæ Legatum, eoquod, cum adhuc
 hujus invasionis inscius esset,
 Turcam de pace securum reddidisset,
 contra omne jus gentium uno oculo
 privari iussit, dein Tartaris in opem
 accersitis Polonicum nomen exscindere
 statuit, juvenis hujus Principis, quo
 ipsemet fervebat, bilem magis adhuc
 accendentibus Bethlenio Gabore, &
 Proto-Vezirio, qui Fratrem suum una-
 cum triremi captum, & in prælio a
 Venetis occisum dolens, Republicæ
 Legatum suffocari curabat. Augeba-
 tur insuper diuturni jam olim temporis
 rabies in Polonos, postquam Caspar
 Gratianus Græcus, Moldaviæ Vaivoda
 Campagium, quem Osmanes in ejus
 cædem emiserat, trucidavit, & insuper
 Bethlenii literas ad Sultanum datas in-
 tercepit, easque Sigismundo trans-
 misit: His de causis Osmanes per li-
 teras

teras bellum denuntiabat Sigismundo, qui dum Gratiano in auxilium venire festinabat, omnem belli molem in se convertit.

Sæc. XVII.
A. C. 1620.

§. XII.

Poloni magna strage in Valachia a Turcis cæsi.

Enimvero hanc belli denuntiationem mox sequebatur festinata Osmanis expeditio, qua Skender Bassa cum sexaginta suorum millibus Moldaviam invadere, ac Gratiano ejecto, atque in ejus locum subrogato Radulo in Poloniam irrumpere jubebatur: re comperta Stanislaus Zolkiewskius supremus Regni Cancellarius cum duodecim equitum peditumque millibus Nystriam fluvium Poloniæ fines circumscribentem trajicit, & Moldaviam ingressus, hosti, cujus vires omnino incognitas habebat, in occursum prope- rat, ac insuperhabito Turcarum numero intrepidus in hostiles phalanges irruit, haud improspere successu; quippe cum Tartaris acri & pertinaci prælio decertans, non lassata pugnandi aviditate, sed ingruentis noctis invidia certamen interrupit, desideratis suorum circiter nongentis, Turcarum vero quintuplo pluribus. Illucescente die

Theatr. Hist.
c. 10. & 11.
Theatr. Eu-
rop. p. 485.
Sagredo
mem. Isto-
rich. de
Mon Ottom.
pag. 614.

Sæc. XVII. die Cancellarius prælium, quod antea
 A. C. 1620. nonnisi perfunctorium existimabat. om-
 nino restaurandum censuit, ceteris
 Belliducibus potius fugam suadentibus,
 imo nocte iterum ingruente nonnullis
 castra deserentibus, quos tamen Can-
 cellarius impensis precibus ad signa
 reduxit, atque in castris per integrum
 octiduum sese continuit, interim cre-
 bris velitationibus hostium vires im-
 minuens: Postquam vero Cammitsen-
 sis Starosta cum tribus suorum milli-
 bus fuga elapsus erat, Cancellarius
 quoque cognita suorum perfidia, au-
 ctoque per Tartaros hostium numero
 cum suo exercitu castris excessit, at-
 que annonæ penuria pressus per ho-
 stium castra gladio sibi viam aperire
 statuit, tantaque dexteritate curruum
 impedimenta hosti objecit, ut sui mi-
 lites ab incursum tuti essent, Turcarum
 vero tela in eos directæ in currus in-
 noxia caderent. Sic igitur aliquam-
 diu continuato inter pericula itinere,
 repente inter medias desperationis ne-
 bulas spes affulsit; Mohilovium enim,
 oppidum a Poloniæ finibus nonnisi uno
 lapide distitum conspici cæpit, unde
 lætitia plerorumque non vulgaris, ac
 velut ex clade restaurati exercitus, eo
 hilarior aspectus, quo magis inopina
 felicitas amplissimum eis campum fru-
 mento

Lotich. l. 6.
Piafec.chron.
p. 401.

mento & fæno abunde locupletem a-
 peruerat, quo conspecto primæ aciei Sæc. XVII.
A. C. 1620.
 Equites relictis castris turmatim pabu-
 latum inciderunt, infelicitissimo tamen
 & vere malevolo fortunæ favore; hac
 enim mora contigit, ut postremi agmi-
 nis milites, cum primæ aciei fatum
 ignorarent, se a sociis suis derelictos
 crederent, ac incondito clamore fugi-
 tivos revocare niterentur, inde vero
 Tartari aut Polonici exercitus tumul-
 tum, aut trepidationem, vel pericu-
 lum auspicati, toto impetu in eos nil
 hostile suspicantes, atque metu incom-
 positos irruunt, & una omnes aut tru-
 cidant aut capiunt, paucissimis ægre
 fuga elapsis, quorum inter Gratianus,
 & ambo erant Cancellarii ipsius Filii
 graviter faucii. Accessit autem ad in-
 felicitatis cumulum, quod ex primo
 agmine non pauci prædæ inhiarent,
 spe tamen sua frustrati impetum in fu-
 gientem Starostam, & aliquot currus
 facerent, tantasque excitarent turbas,
 ut iis componendis Belliducum, imo
 ipsius etiam Cancellarii autoritas non
 sufficeret. Tum vero Turcis e fronte
 & a tergo urgentibus non jam pugna,
 sed similis ruinæ strages erat: una om-
 nes Polonici hujus agminis Belliduces,
 Tribuni & milites, præter fuga elapsos,
 trucidati fuere; jacebant circa Can-
 cella-

Sæc. XVII. cellarii tentorium nobilissimi Duces,
A. C. 1620. omnes proni in terram, qui nequidem
 dato pugnandi spatio, procubuere, ad-
 verso corpore vulneribus acceptis.
 Non deerant, qui Cancellarium hor-
 tarentur, ut & ipse sibi fuga consule-
 ret, at ille gloriosa potius morte de-
 fungi, quam turpis fugæ beneficio vi-
 vere paratus, cum trecentis Equitibus
 Turcarum impetum tamdiu sustinuit,
 donec fortiter pugnando non hostium
 fortitudine, sed viribus & numero de-
 victus occumberet: Postmodum Turcæ
 in ejus corpus sævientes præter dexte-
 ram caput a cervice rescissum, hastæ-
 que oblongæ infixum ante Turcicum
 Prætorium, dein Constantinopoli ex-
 posuerunt, cadavere in acie relicto,
 quod postea repertum in Barcensem
 suæ jurisdictionis arcem translatum est.
 Capti fuere a Turcis Konietzpolskius
 supremus belli Legatus, Samuel Ko-
 retzkyus, Lucas Zolkiewskyus, &
 perfidus Georgius Farenbachius. Par-
 ta hac victoria Turcæ ferociores facti,
 Poloniæ Regnum variis in locis inva-
 sere, atque opimis inde prædis non
 raro abductis aliquando currus sexa-
 ginta Nobilibus fœminis, liberisque
 onustos interceperunt, secumque in
 miseram servitutem abegerunt: Hanc
 igitur patriæ calamitatem misertus Si-
 gismun-

gismundus Rex bellum aduersus hosce Tyrannos parabat, atque a Cæsare, aliisque Principibus Catholicis suppetias sperans, ductore Carolo Chotkibio octo Cosaccorum millia in Wala-
 chiam præmisit, qui in duodecim millia Tartarorum, qui Bethlemicis sese iungere parabant, incidentes, captis quamplurimis ceteros trucidarunt. Refert Meteranus, geminam a Polonis reportatam fuisse victoriam, desideratis Turcarum quinquaginta millibus: ast famam, quæ e longinquo semper liberius narrat, eum fefellisse, existimamus.

Sæc. XVII.

A. C. 1620.

Meteran.

l. 40. p. 303.

§. XIII.

Comitia Cracoviæ indicta.

Ut autem auspiciorem armorum successum sperare posset Sigismundus Rex, Cracoviæ ad diem tertiam Novembris comitia indixit, in quibus una congregatis Regni Proceribus Rex hæc capita mature ponderanda proposuit. I. Quam contumeliose Regius Legatus Constantinopoli fuerit habitus. II. Quod bellicæ denuntiationis literæ ab hoste potentissimo & omnibus retro Sæculis infestissimo fuerint transmissæ. III. Adversus ipsum ergo, necnon contra Bethlenium, & Bohemos de mediis

Lond. acta

publ. l. 5.

Merc. l. 13.

lib. 3.

Hist. Eccles. Tom. LVII.

E ad

Sæc. XVII. ad defensionem necessariis, & bello in
A. C. 1620. hostilem Regionem inferendo delibere-
 tur. IV. Instauretur avitum Polono-
 rum cum Silesiis foedus, eo vel maxi-
 me, quia Silesii milites Regias literas
 interceptissent, & in Poloniam præda-
 tum excurrissent. V. De Livonia a
 Suecorum incurſibus vindicanda, nec-
 non an Smolenscum contra Moscovi-
 tas sit defendendum? deliberetur. De-
 nique VI. De sumptibus ad bellum ne-
 cessariis mature prospiciatur.

§. XIV.

Sigismundus Poloniæ Rex a Parricida vulneratus.

Jæger.
Hist. Eccl.
 l. 10. c. 11.
Lotich. rer.
Germ. p. 225.
Brachel. Hist.
 lib. 1.
Piassec. chron.
 p. 404.

Priusquam Sigismundus Rex exteri
 hostis violentia plene defunctus es-
 set, domi præsentaneum vitæ pericu-
 lum ægre eluctatus est; cum enim Mi-
 chael Piecharſius Nobilis Polonus, vel
 ut alii volunt, Ruffus, ob mentis im-
 potentiam quosdam Curatores patri-
 monio suo gubernando a Rege accepif-
 set, id Nobili Polono injuriosum esse
 ratus, ipsa etiam Regis morte vindi-
 ctam sumere statuit. Igitur decima
 quinta Novembris Regem, ad ædem
 sacram magno comitatu euntem, dum
 fors filium suum colloquio cum Pro-
 ceribus detentum præstolatur, in ipso
 Templi

Templi vestibulo e latebris forium repente profiliens priusquam animadvertetur, in caput ferit, læso duntaxat humero, eoquod mitra pellibus suffulta, qua Regis caput tectum erat, ictus impetum fregisset: Hoc viso Parricida ictum summa celeritate repetit, ejusque dexteram maxillam oculum inter & tempora militari sua securi percutit. Rex periculo ac metu conterritus, Jesu nomen inclamat, quod ex Marescallis, qui præibant, audiens non nemo, mox parricidam baculo cædit, velocius autem accurrens cum districto acinace Regis Filius nefarium hunc hominem in terram prostrat, severe inhibens, ne interficeretur. Sparso interim in vulgus rumore, Regem fuisse trucidatum, tam ingens excitabatur tumultus, ut Regina ex Oratorio suo prospiciens, præ consternatione animo deficeret, totaque urbs in mutuas cædes ruere timeretur; unde aucto tumultu duo Præsules ab accurren-
 te populo protriti fere & conculcati fuere. Nil ergo opportunius erat, quam ut non modo Proceres plebem de vita Regis certam redderent, sed & Rex ipsemet se ei ad fenestram ostenderet. Parricida vero in arcem abductus, ac quæstioni subjectus, nullos hujus criminis socios habuisse, sed solum hoc

Sæc. XVII.

A. C. 1620.

Sæc. XVII. nefas concepisse fatebatur, unice con-
A. C. 1620. questus, quod Regem vita privare non
 potuisset: Igitur in eum sententia ejus-
 modi pronuntiata est, ut candente ali-
 quoties forcipe concerptus, veniam a
 Deo, Rege & Nobilitate, populoque
 omni peteret, ac demum dextera, di-
 gitisque sinistris mutilatus, quatuor e-
 quis discerperetur, quod etiam suppli-
 cium die vigesima septima Novembris
 subiit, corporis partibus in ignem, &
 cineribus in Vistulam fluvium projectis.
 Ex bonis ejus fisco addictis prædium
 unum Adamus Calenskius obtinuit,
 quia Regem in deliquio cadentem pri-
 mus sublevaverat.

§. XV.

*Petrus Bertius a Calvinismo ad fi-
 dem Catholicam reversus.*

Balduin. Hoc item anno Petrus Bertius Lug-
Chron. Mo- duni Batavorum celeberrimus inter Ar-
rale. p. 1258. minianos Professor, desertis Calvini
Arnoldi hist. castris, in quibus a prima infantia mi-
Hæret. litaverat, ad Romanæ Ecclesiæ gre-
Weism. Hist. mium Parisiis reversus est, habita pu-
Eccl. p. 742. blice oratione, typisque paulopost e-
Meteran. dita, in qua suæ mutationis causas
Hist. Belg. succincte exponebat, quas inter præ-
p. 328. l. 41. cipue illum ad hunc reditum val-
 de commoverat continua Calvinianæ,
 alia-

aliarumque sectarum in præcipuis arti- Sæc. XVII.
culis ad salutem necessariis dissensio, A. C. 1620.
& econtra Ecclesiæ nostræ cum veteri
a Christo fundata & ab Apostolis ad nos
translata in omnibus articulis consen-
sus & conjunctio, quam Bertius æque,
ac annis superioribus Crollius olim Ge-
nevensis Evangelii Præco & Hassiæ Su-
perintendens, ex lectione Conciliorum
& Sanctorum Patrum, præcipue Divi
Augustini deprehendit. Insuper ad ab-
jurandos Calvini errores ipsum impulerat,
pudendi illius Dordracensis Con-
ciliabuli iniquitas, & Gomaristarum
crudelitas: Profitebatur etiam, quod
inter Catholicos conversatus, eorum
ritus moresque nullatenus adeo cor-
ruptos esse deprehenderit, ac Calvi-
nistæ de iis mentiti fuissent: Ceterum
Leidenses Calvinistæ, postquam Ber-
tium a suo cætu defecisse compererant,
ipsum, prorsus bruto, anathematis ful-
mine ipso solempni Paschatis die percu-
lerunt, Franciæ autem Rex hunc Vi-
rum in Regium Professore & Geo-
graphum Parisiis nominabat. Nil igitur
Calvinistis ad leniendum suum do-
lorem reliquum erat, nisi ut Bertii fa-
mam, & conversionis sinceritatem pro
more suo obscurare niterentur: Eo a-
nimo, si Weismano fides, Robertus
Eustachius itidem secta Arminianus

Sæc. XVII. Parisiis hæc de Bertio scripsit: *Dicam*
A. C. 1620. *cum ingenti animi horrore, summaque de-*
testatione, Bertius, heu! quondam noster,
Pontificias partes hic amplexus est, neque
Missam tantum audivit, sed & Sacramen-
tum Corporis Dominici, ut vocant, cum
idololatriæ sumpsit, & articulis, nescio
quibus subscripsit: Habui hoc primum ex
Viris fide dignissimis, habui & heri ex
ipsius ore, ne tu conjecturis agere me pu-
tes. Hæsitabat miser turbatus animo, jam
pallebat, jam sudabat, jam titubabat in
incessu, jam lacrimabatur: Neque quicquam
quod opponeret, habebat, præter injurias
istorum Gomaristarum, quibus tam acer-
bè, imo scelerate exagitatus hætenus fuif-
set. Mihi tamen suscipio est Sermonibus
quibusdam illius innixa, eum in Sententiis
aut nihil, aut parum certe hætenus mu-
tasse, nec alio fine in partes illas transivif-
se, quam ut stipendium suum ex cerario
regio obtineret, quod scio, quam misere
antea per tot hebdomadas frustra mendi-
caverit.

§. XVI.

Dominici Tuschi Cardinalis obitus.

Ciaccon. in
vita Clem.
VIII. p. 319.
Ughel. in
addit.

Dum Roma ob varias Bohemici belli,
 rerumque vicissitudines adhuc an-
 xia hærebat, tres Purpurati ob præ-
 festinæ mortis invidiam a communi vi-
 ctoriae

storix Pragensis lætitia excludeban- Sæc. XVII.
 tur. Horum primus erat Dominicus A. C. 1620.
 Tuschus patria Rhegiensis, qui anno
 Christi millesimo quingentesimo trige- Joan. Nic.
 simo quarto natus, humanioribus lite- Erythr.
 ris in patria operam navabat, ast Pa- Pinac. I.
 rentibus suis orbatus, & amicorum pag. 39.
 ope destitutus profanæ militiæ nomen
 dare cogebatur, brevi ad Tribuni di-
 gnitatem evectus. Accidit autem, ut
 quadam die in Justiniani Imperatoris
 Institutionum libros incideret, quorum
 lectione tantopere delectabatur, ut sa-
 gam cum toga commutare statueret,
 ac in Papiensi Academia Jurispruden-
 tiæ disciplinis se dederet, jam utrius-
 que Juris Doctor, & Magister evectus,
 dum vix discipulum agere inciperet;
 tanta erat ingenii sui perspicacia. Post-
 quam vero aliquamdiu celeberrimi
 Caussidici nomen emeritus, Sacrisque
 Ordinibus initiatus erat, a Clemente
 VIII. Sacræ, ut vocant, *Consultæ*
 Prælati, mox Tiburtinus Præsul,
 urbisque Romanæ Gubernator renun-
 tiatus est, quo in munere summam in-
 dustriam, integritatem & prudentiam
 tantam exhibuit, ut virtutum suarum
 suffragio ab eodem Pontifice Cardina-
 lis Presbyter renuntiaretur: Erat mo-
 rum comitate, & indolis ingenuitate
 præstans, omnibus amabilis, inter

Sæc. XVII. A. C. 1620. adversa hilaris, in prosperis modera-
tus, & pro ingenii sui admodum acuti
& lepidi rara felicitate jocos in familiari
colloquio sæpe miscere consuetus, quæ
tamen linguæ libertas tantopere Ba-
ronio displicuit, ut Tuschum mortuo
Leone IX. Pontificiæ dignitatis minus
dignum censeret. Hanc tamen repul-
sam Tuschus incredibili animi magni-
tudine tulit, & continuo summa ala-
critate ad opus suum octo tomis va-
stum, cui titulum *Conclusiones* præfixit,
absolvendum, typisque mandandum
se contulit: tandem vero nominis sui
gloria, meritisque plenus Romæ anno
ætatis suæ octogesimo sexto die vige-
sima sexta Martii naturæ debitum sol-
vit, sepultus in Ecclesia Sancti Petri
in Monte aureo.

Vid. Supra
Lib. 186.
§. 152.

§. XVII.

*Antonii Mariæ Galli Cardinalis
extrema.*

Eiacon in
vita Sixti V.
pag. 165.
Petramell.
in elog.
Turfellin.
in Hist.
Latv.
Ejusdem Mensis diem trigesimam vi-
tæ suæ exitialem itidem Romæ ha-
buit Antonius Maria Gallus, Auximi
in Piceno ex nobili familia ortus. Hic
in Felicis Cardinalis Montalti Palatio
domesticis officiis functus, ab eodem
Purpurato, quamprimum sub nomine
Sixti V. ad Pontificale solium ascendit,
Vati-

Vaticanæ Ecclesiæ Canonicus, Perusinus Episcopus, ac tandem Presbyter Cardinalis renunciatus est: Erat in pauperes admodum beneficus, & in exornandis Templis profusus. Præcipue Lauretanae ædis, cujus Protector erat, faciem magna æris impensa ad fastigium perduxit, atque Auximananam Ecclesiam, quam relicta Perusina Episcopus a Gregorio XIV. nominatus per viginti & amplius annos laudabiliter rexerat, amplissimis donis, privilegiis, ac ornamentis auxit. Postea dimisso etiam hoc Episcopatu Romam concessit, ac parsimoniam studiosus, ingentes thesauros conflavit, quin Nepotes suos locupletare studeret, unde ipsum etiam Pinellum Cardinalem, quod suis Nepotibus ad luxum immodice indulgeret, quadam die redarguit, in eo gloriatus, quod econtra suos Nepotes intra frugalitatis terminos vel invites contineat: postquam vero ab eodem Pinello inaudierat, quod unus ex ejus Nepotibus intra breve tempus vigesies millies & ultra æris alieni contraxisset, exin tantam concepit iram, ut ex eo tempore pristinae parsimoniam oblitus, pretiosam sibi suppellectilem compararet, dicens, quod deinceps non nepotibus suis, sed sibi vivere velit, ne hi pec-

Sæc. XVII.
A. C. 1620.

Sæc. XVII. A. C. 1620. candi fomitem haberent: Recte id quidem. sed minus sobrie & prudenter, minusque ipsi Gallo proficue; diutius enim fors vixisset, si parcius, ut antea, cibos sumpfisset. Postquam vero quotidie, ut poscebat corporis moles, plurimis sese ingurgitaverat cibus, cum hos stomachus decoquere non posset, ulcus sensim in purulentum cancrum degenerans ei in pede peperit, eumque, cetera sanum occidit: Ad mortis nuntium nondum sæculi satur, quamvis septuagesimum septimum ætatis suæ annum expleisset, flevisse dicitur: tandem divitias suas, quas valde conspicuas habuit, Nepotibus reliquit, excluso tamen eo, quem æs alienum contraxisse diximus: nec tamen pauperum immemor, tria aureorum millia eis in charitatis subsidium legabat. Sepultus est in Basilica Aræ Cæli: Scripsit etiam summam Historiæ Lauretanæ, orationes nonnullas de B. V. M. præter præclaras leges pro creando Magistratu Lauretano.

§. XVIII.

Joannes Evangelista Pallotta Cardinalis mortuus.

Ciacon. l. c. **T**ertius ex Purpuratis, qui hoc anno ante Pragensem victoriam decesserant

ferant, erat Joannes Evangelista Pa-
 lotta patria Picenus Calderolæ Came-
 rinensis Diæcesis oppido natus. Hic
 generis sui obscuritatem virtute ac in-
 dustria illustrans, Felicem Cardinalem
 Montaltum, æquissimum meritorum
 judicem pariter sibi morum suavitate,
 ac humilitatis suæ studio tam feliciter
 conciliabat, ut ejus opera primo Ca-
 nonicus, postea ab eodem in Pontifi-
 cem assumpto Cosentinus Archiepisco-
 pus, & tandem Cardinalis renuntia-
 retur, qua dignitate fulgens plurimis
 muneribus non sine ingenti Ecclesiæ
 fructu, communique applausu defun-
 ctus est: Eminuit præprimis immoto
 Divini honoris zelo, quo animatus Ec-
 clesiam Collegiatam D. Martino sacram
 & Monasterium pro duodecim pauper-
 culis Virginibus, ac pro totidem ado-
 lescentibus Seminarium in patria sua,
 necnon Collegium Romæ fundavit,
 dotavitque. Ecclesiam quoque S. Gre-
 gorii, & alteram S. Mariæ a funda-
 mentis erexit, Cosentinam vero prope
 universam restauravit, pluraque pro
 augendo Dei cultu pietatis suæ monu-
 menta reliquit. Nec parcior erat in
 exornandis Sancti Laurentii, & Tu-
 sculana Ecclesiis, quarum titulum
 optaverat: fuit insuper in peregrinos
 & advenas summopere liberalis, præ-
 sertim

Sæc. XVII.

A. C. 1620.

Sæc. XVII. fertim ubi Catholicæ Religioni quod-
A.C. 1620. dam exinde augmentum accrescere
 existimabat. Tandem vero Romæ die
 vigesima secunda Augusti meritorum
 coronam sibi in cælis repositam anno
 ætatis suæ sexagesimo sexto recepit:
 Corpus ejus Calderolam translatum in
 Ecclesia Sanctæ Catharinæ quiescit.

§. XIX.

Horatii Lanceloti Cardinalis fata.

*Ciacon. in
 vita Pauli V.*

Desiderio suo, quo veritatis Catho-
 licæ triumphum de Bohemorum
 erroribus cernere anhellabat, haud
 frustrabatur Horatius Lancelotus, qui
 vitæ suæ terminum ad nonam Decem-
 bris diem extendit. Hic patria Ro-
 manus, cedente Scipione Patruo suo,
 Auditor Rotæ Romanæ nominatus,
 tandem ob indefessam, qua munere
 suo dudumungebatur, solertiam, at-
 que integritatem a Paulo V. Papa Car-
 dinalium Collegio adscriptus est: mox
 autem post obtentam Purpuram, &
 quadragesimo nono ætatis suæ anno
 Romæ obiit, exornata prius Ecclesia
 S. Simeoni sacra, relictisque pro Pa-
 trum Congregationis Pauperum Ma-
 tris Dei Monasterio sex aureorum
 millibus.

§. XX.

Sæc. XVII.
A. C. 1620.

§. XX.

*Historia de Dordracensis Concilia-
buli canonibus.*

Arminianos minime auditos a Goma-
ristis violenter in Dordraceno Con-
ciliabulo fuisse ejectos, pœnisque mul-
ctatos, jam supra memoravimus: re-
stat, ut Canonum seu articulorum, de
quibus controversia erat, fata ac suc-
cessum referamus. Postquam igitur Go-
maristæ controversias hæcæ pro suo
arbitrio deciderant, Catholicorum si-
miliæ etiam Canones conficere aggre-
diebantur, non alia stabilitos auctori-
tate, nisi consueta violentia, & pœna-
rum comminatione, qua statutum, ut
quicumque eis subscribere nollet, ab
officio suo removeretur. Hæc tamen
agendi ratio non modo Arminianis, sed
ipsis etiam Angliæ Theologis displicuit
prout Gualterus Balcanquellus celebris
inter suos Theologus in sua ad Dudleium
Angliæ Legatum epistola testatur:
*Quantum scribit ipse, laboris in ultimis
Sessionibus exantlaverimus, nemini nisi ex-
perto constare potest: quamque mirum in
modum se gesserint, in primis Præses, vel
cæcus satis viderit. Multum sane spem
omnium de se fefellit. Quod ad censuram
personalem, quæ res est magni momenti,
nihil*

*Jæger. Hist.
Ecc. 1. 10.
cap. 13.
Hallej. Hist.
Concil. Dor-
dra. p. 106.*

Sæc. XVII. nihil nobis de ea innotuerat, nisi eo ipso
A. C. 1620. momento, quo prælegebatur; ac quoniam
 deputati, qui Hagam cogitabant, diutius
 retineri non debebant, tota Synodus illi as-
 sentiri necesse habuit. Medio tempore in-
 tra Sessionem antemeridianam, & prome-
 ridianam valde apud externos adlaborabant,
 quo isti censuræ suffragarentur: Sed nos
 quidem huic negotio non immiscuimus. Quod
 solum possum dicere, hoc est: Nihil mihi
 durum videtur, quemque, qui singulis Ca-
 nonibus non vult subscribere, munere suo
 moveri. Nunquam vetus Ecclesia, nun-
 quam ulla Reformata adeo multos articu-
 los servandos proposuit, sub pœna excom-
 municationis. Nonne itaque crudele fuis-
 set, si omnia pro Canonibus habita fuis-
 sent, quæ illi volebant? Exempli gratia,
 illud de absoluta necessitate æqualitatis na-
 turæ ad nostram redemptionem consi-
 ciendam &c.

Ceterum Halesius §. 32. ex Actis
 Authenticis Ecclesiarum Reformata-
 rum comprobatum reddidit, quod „hu-
 jus Conciliabuli Canones sensu ambi-
 guo concepti, & quidem studiose ita
 fuerint constituti, ut quænam eorum
 sit doctrina, nondum exploratum &
 certum sit, proin eorum sectæ, quam-
 vis injuriosa in Deum dogmata foveat,
 aliæ sectæ accedere possent: ut enim
 tot inter se discrepantes Ministellos
 coll-

conjungerent speciosi hi Patres, fidei Sæc. XVII.
 doctrinam verbis generalioribus & va- A. C. 1620.
 gis interpretari cogebantur, quæ fa-
 ctio quælibet ad suam interpretari sen-
 tentiam & hodie possit, & olim potue-
 rit „quocirca idem Author testatur in-
 ter ipsos Reformatos non deesse viros
 sapientia & æquitate inclytos, qui nul-
 lam huic Conciliabulo inesse auctorida-
 tem non diffiteantur, & propterea in
 votis habeant, ut illud abrogetur. Cum
 vero Synodus Dordracena universam
 (ut agebat) Calvinianam Ecclesiam re-
 præsentans Arminianos ad acceptan-
 dos ejusdem Canones & fidei decreta
 compulerit, inde manifestum fit, quod,
 si in Ecclesia circa fidei res dubium
 oritur, ad Ecclesiam pertineat, parti-
 bus jus dicere, & de illis ultimum fer-
 re judicium: igitur aut Protestantes se
 separare non debuissent, aut post sepa-
 rationem fateri coguntur, quod nulla
 in terris sit potestas, cui suprema au-
 thoritate de fidei doctrina judicandi, &
 Religionis controversias decidendi po-
 testas competat: quo ergo jure Syno-
 dus hæc Arminianos ad acceptandos
 ejusdem Canones & decisiones cogere
 valuit? Quanta autem confusio, dif-
 fensio, & altercatio in condendis hisce
 canonibus intercesserit, idem Balcan-
 quellus his verbis testatur: *Diligenter*
admo-

Sæc. XVII. *admodum expoliendis Canonibus, quos no-*
 A. C. 1620. *bis Deputati mittunt, incumbimus. Labo-*
 ramus jam de secundo articulo. *Maxima*

In epist. Re- Synodi pars suffragiorum numero nos eo
monst. ep. adigere conatur, ut universales propositio-
ad Nanton. nes, quæ in S. Scriptura & Reformata-
Angl. rum Ecclesiarum Confessionibus de morte

Christi occurrunt, ad solos electos restrin-
 gamus. Nos contra tuemur, istas nec ex-
 plicandas nec restringendas esse: multum-
 que gaudemus, mandata, quæ Dominus
 Legatus nomine Regis nobis dedit, tam ex-
 acte cum sententia nostra de secundo articulo,
 quam subscriptam Synodo dedimus, con-
 venire. Censemus enim, ita demum soli-
 dum sufficiensque fundamentum substerni
 prædicationi Evangelii omnibus hominibus
 annuntiandi. Dein evitamus maximam
 partem scandali aliter necessario Luthera-
 nis Ecclesiis dandi. Tertio retinemus eas-
 dem phrasas, & formulas, quibus Patres
 usi sunt, qui cum Pelagianis de eodem dog-
 mate disputarunt. Siquidem hic consenti-
 mus, de ceteris satis moderate actum iri
 spero. Si tamen moderatio exterorum
 Theologorum non obstaret, sane Canones
 conderentur, quorum Similes conspiceri
 non esset datum. Neque enim ullum fer-
 me Provinciale Ministerium reperies, qui
 ob rigidum aliquod effatum a Remonstran-
 tibus reprehensus, illud huic illive Canoni
 immiscere non conetur, ut hac ratione sen-
 tentiam

tentiam suam tueri possit. Quamprimum Sæc. XVII. A. C. 1620.
 de Canonibus statutum fuerit, eos tibi mittam &c.

Hæc ille, quamvis haud majorem concordiam hic Anglus inter suos invenire potuisset, præcipue cum hi statuunt, quamlibet Ecclesiam particularem Georg. Horætiæ paucarum Personarum, habere plenam & independentem ab Classibus, Synodisque potestatem & jurisdictionem: neque Presbyteria, sed totam Ecclesiam, omnia ejus & singula membra, viros pariter & FOEMINAS potestatem clavium, jusque vocandi ministros habere.

Ex his prono alveo fluit, haud mirum esse, quod ad hanc usque diem Vassor. t. 3. Hist. de Louis XIII. pag. 327. Att. Synod. Nat. des Eccl. Ref. t. 2. p. 183. & 184.
 hujus Conciliabuli auctoritas apud Anglos Calvinistas dubiæ admodum fidei sit, & in Galliis non pauci ex Hugonotis Prædicantibus publice illud recipi haud permittant: magis autem mirum videtur, quod nihilominus hujus Conciliabuli fabricatores doctrinam a se ibidem stabilitam Arminianis obtrudere, eosque corruptæ Religionis, scissæ unitatis, seu schismatis in Ecclesia, necnon gravissimorum scandalorum, atque intolerandæ pervicaciæ reos, eoquod spuriiis hisce canonibus subscribere detrectarint, pronuntiare ausi fuerint, cum tamen nequidem tertia suffragiorum pars in ferenda hæc

Hist. Eccles. Tom. LVII.

F fen-

Sæc. XVII.
A. C. 1620.
sententia, & condendis hisce canoni-
bus fuerit interrogata, ac ipsamet hæc
sententia nec scripto comprehensa, nec
a Concilio approbata, sed unius homi-
nis Joannis Bogermani hujus conven-
tus Præsidis, sibi que adhærentium o-
pus exstiterit, unde de hoc præclaro
Præside, ejusque sententia quidam
Anglus Theologus hæc effatus est, si
*Arminiani scriptis suis evulgarent senten-
tiam, quam Præses pronuntiavit, eam
non fuisse Synodi, non mentirentur.*
Non defuere etiam Remonstrantes,
qui egregio scripto suam famam
contra sanguinarios Gomaristas hoc
anno defenderunt, & Synodi ini-
quam agendi rationem exposuere,
maxime indignantes, quod eorum sen-
tentiam hæreseos arguerint, & in Sy-
nodo Aletana suos, ut Arminianorum
doctrinam rejicerent, & damnarent,
juramento obstrinxerint.

*Epist. ad
Dudl. Angl.
Legat.*

§. XXI.

Martyrium B. Nicolai Ruscæ.

*Richard. a
Ruscæ.
in Mart.
B. Nicolai
cap. 8. &
seqq.*

Jam supra meminimus, quam inhu-
mane sanguinolenta Calvinii hære-
sis, mulier illa ebria de sanguine Sancto-
rum, & de sanguine Martyrum Jesu
Catholicos divexarit, atque inter eos præ-

præcipue Nicolaum Ruscam Sondrien-
sem in Rhætia superiore Archipresby-
terum, cujus gloriosa mors specialem
memoriam deprecere videtur. Hic
igitur Locarni in Præfectura ditionis
duodecim Cantonum Helveticorum na-
tus scientiæ ac pietatis laude inclaruit,
sacrisque Ordinibus in Diœcesi Curiensi
initiatum Religionis Catholicæ singu-
lare studium præsetulit, Vir morum
sanctitate celebris, & sancto Carolo
Borromæo, dum in Seminario olim
Mediolanensi versaretur, imprimis cha-
rus: Æstuante autem Calviniani tu-
multus procella adversus Catholicos,
Nicolaus jam prope octogenarius se-
nex ex fidei odio vestibibus nudabatur
in equleo dirissime suspensus, variis-
que tormentis excarnificatus: nihilo-
minus in fidei professione immotus ste-
tit Rusca, cujus constantiam labe-
factare, Calviniani Ministri totis viri-
bus, incassum tamen, nitebantur;
quippe præter tormentorum acerbita-
tem etiam fallacia insidiantium spicula
addidere, ac præprimis Joannes a Por-
ca Ciceriensis Ministellus, ejus Sym-
mistæ Blasius Alexander, Bonura
Toutschius, Casparus Alexius, ac
Stephanus Gabriel identidem dolosis
hortationibus suis Nicolaum a fide Ca-
tholica avertere satagebant: cum vero

Sæc. XVII.

A. C. 1620.

Vid. supra

l. 191. §. 34.

pag. 126.

Sæc. XVII. se operam perdere cernerent, ut ei-
 A. C. 1620. dem, cui ultro fidem non poterant,
 saltem eo crudelius vitam eriperent,
 ipsimet carnificem in vinciendo & tra-
 hendo Martyre adjuvarunt, imo &
 crudelitate superarunt, funesque, e
 quibus ille pendeat, quassarunt, ar-
 ctiusque constrinxerunt. Tenuit tra-
 gica hæc scæna integrum biduum,
 donec inter acerbissimos cruciatus &
 ardentissimas pro Grisonibus Calvinistis,
 tortoribus suis preces innocentissimam
 animam efflaret. Nondum satis sæ vi-
 tum erat in vivum, mortui quoque
 cadaver pedibus conculcant, atque in
 equleum ad subsannantis populi ludi-
 brium denuo attolunt: Verum quod
 hi crudeles tyranni corpus ignominia,
 Deus gloria affecit; nam insolito quo-
 dam fulgore e tenebrosa spelunca cor-
 ruscare, cælestisque fragrantiae odo-
 rem spirare cæpit, cumque illi perge-
 rent crudelitatem suam augere, rapta-
 rentque defuncti cadaver ad patibu-
 lum, infami sepultura Martyri notam
 iniusturi, Deus sibi suoque fidei famu-
 lo illatam injuriam luctuosa Pluriensis
 oppidi sepultura ac everfione vindicavit.
 Anno millesimo sexcentesimo vigesimo
 secundo pariter Calvinistæ Venerabi-
 lem Patrem Fidelem a Mayensfeldt
 Prædicatorem Capuccinum ex Helve-
 tica

tica Provincia pro fide Catholica in Sæc. XVII.
 Tuliensi oppido immanissime trucidata- A. C. 1620.
 runt, ejus socio etiam ad mortem con-
 vulnerato.

§. XXII.

Motus in Rhetia continuati.

Hoc item anno Religionum dissidia Brachet.
 in Rhetia apud Grifones diuturni, Hist. l. I.
 cruentique belli inter Hispanos, Gal- p. 32.
 losque occasionem dedere. Optata Massen. An-
 pace fruebantur Vall-Tellini, quam nal. Trevir.
 diu Religio Catholica ibidem a sectis Lotich. rer.
 alienis intacta florebat; quamprimum Germ. l. 7.
 vero Calvini secta per complures Vi- cap. 15.
 ros, foeminasque ex Italia in Rhetiam
 & præsertim Vallem Tellinam profu-
 gas ibidem radices agere cæperat, il-
 lico civilium armorum motus invalue-
 re; Calvinistæ enim & præcipue Grifo-
 nes arrogato sibi imperio Tellinos Re-
 ligione Catholicos mancipiorum more
 habebant, & non modo in eorum bo-
 na & vitam tyrannicum exercebant im-
 perium; sed etiam illorum conscientias
 vim inferre intentierant, & Calvinianos
 errores implantare, Ecclesias & Mona-
 steria Catholicis erepta in Collegia &
 Scholas, in quibus juvenus secta im-
 bueretur, commutare, omnibusque
 viis fidem Catholicam eradicare nite-
 ban-

Sæc. XVII. bantur. Acrius autem irritabantur
 A C. 1620. Catholicorum animi novissima, atque
 inter Christianos nunquam audita cru-
 delitate, qua Calvinistæ sanguinario
 iudicio Thusifii erecto præfatum Ni-
 colaum Ruscum Archipresbyterum tru-
 cidarunt, & S. R. Imperii Principe
 Joanne Curiensi Episcopo, ac Joanne
 Prevosto morti adjudicatis ambos Plan-
 tanos, plurimosque alios bonorum
 proscriptione, exilio, carceribus, a-
 liisque severissimis pœnis in Catholicæ
 Religionis odium mulctarunt, ac e-
 tiamnum in ceteros mulctam parabant.
 Insuper futuræ, acerbiorisque vexatio-
 nis metum ingesserat haud parum mæ-
 sta recordatio tyrannidis, quam Cal-
 vinistæ hoc anno Pragæ, Pilsnæ, Ol-
 mutii, Brunæ, Bacheraci & Cubæ in
 Sacerdotes, monasteria, & Catholi-
 cos exercuerunt. Tot igitur sibi, ac
 suæ Religioni illatis injuriis provocati
 Tellini, præsertim Plantani, cum pesti-
 lens hoc Reipublicæ ulcus nisi ferro &
 excidio curari posse crederent, Feriæ
 Ducis, qui Hispani Regis nomine Me-
 diolanum moderabatur, opem implo-
 rant, supplices, ut Religionem Catho-
 licam, & Rempublicam a Calvinistis
 & venali Judicum fide oppressam tueri,
 necnon proscriptos suis bonis, & patriæ
 red-

Bald. chron.
moral.

pag. 1225.

Ferrer. con-
tin. Hist.

Hisp. t. II.

c. 2. p. 281.

326.

reddere vellet. Nec defuit æquis pre- Sæc. XVII.
cibus prompti auxilii pollicitatio. A. C. 1620.

§. XXIII.

Calvinistarum Grisonum cædes.

Interim novum indignationis argumen- Ferrer. l. 6.
tum trahebatur ex eo, quod Calvi- pag. 328.
nistæ ejecto Parocho Catholico Boalzii Bucelin.
Calvinianum Prædicantem subrogari Rhet. Sacr.
jussissent; sub idem vero tempus nuntia- & prof.
batur, Hispanos haud procul a Rhetia pag. 358.
finibus abesse, quocirca Grifones adhuc
opis imploratæ ignari Tellinis præce-
perunt, ut ductore Jacobo Robustello
Morbonium inter & Travonam fauces,
transitusque obsiderent, quod manda-
tum, etsi Catholici in rem suam ver-
terent, haud obscure tamen eis signifi-
cabat, quod Calvinistæ Hispanos a
Rhetia finibus arcere, toto studio ad-
laborarent. Hæc ipsa speratæ opis
frustratio Catholicos impulit, ut peri-
culum in mora subesse rati, ad pro-
prium sui defensionem arma sumere,
ferali consilio decernerent. Ergo die
nona Julii Robustellus noctu cum suis,
ne Calvinistæ rem comperire possent,
Plattamalæ transitus obsidet, ac sum-
mo mane Tyrannium profectus, ur-
bem, aliaque loca trucidatis excubito-
ribus occupat, civesque in Templo po-

Sæc. XVII. A. C. 1620. ~~_____~~
 tissimum congregatos nulla sexus, ætatis aut conditionis habita ratione interficit, unacum Joanne Danzio, Alexio & Alexandro Prædicantibus: inde promotò cursu Tellini in Sandrio, Berbato, Caspano, & Tropano oppidis, necnon in Bormiano Comitatu præcipue in Prædicantes omnium malorum Authores desævierunt, cæsis circiter trecentis. Submiserat etiam Tellinis Feriæ Dux pecunias, bellique tormenta, palam contestatus, quod hanc cædem minime ratam haberet, fidem tamen Catholicam inique oppressam tueri teneretur: econtra vero Paulus V. Papa hoc Tellinorum facinus utpote a mansueta Christianorum disciplina alienum averfabatur: Tellini vero sparso in vulgus diplomate suæ irruptionis causas proponebant, testati, quod Calvinistis firmum fixumque fuerit, omnes Catholicos in Rhetia opprimere, & e patria sua ejicere: Calvinistæ autem postea sequentem epistolam, veluti ab Antonio Paravicinio ad Curientem Episcopum exarratam divulgarent, de cuius tamen fide vehementer dubitatur: *Ad optatum tandem finem negotium istud, de quo ante Septendecim annos consultationem jam suscepimus, per Dei gratiam perductum est, divino sane & mirando admodum successu, ita ut ex nostra parte sanguis*

quis nullus fufus fit. De ftatu nostro nihil jam fcribo, ex filio, qui ad te propediem venturus eft, omnia cognofces. Qui ex fœderatis Helvetiis loca ifta recuperaturi, montem tranfcenderunt, conſpecto, qui contra tenderet, exercitu, pedem retraxerunt. Pauci, qui in locis iftis remanferunt hæretici, ad fidem Catholicam converfi funt. De illis, qui Clevam profugerunt, ſpes tamen converſionis bona eſt. Reperiuntur aliqui, qui ne converſionem quidem promittentibus parcunt, eos vero in gratiam recipiunt, ea conditione, ut Mediolanum proficiſcantur, nec in patriam, donec de converſione ipſorum dubium nullum fit, revertantur. Somnium narrare tibi videbitur, qui tam ſubitam provincie iſtius converſionem, & mutationem referret. Quantum mutationem iſtam triumphus apud omnes conſecutus fit, quantumque ob adventum ſuum lætentur Catholici, dici non poteſt. Omnes paſſim Epifcopo, qui cauſa mutationis primaria fuit, obligatos ſe propterea perpetuo agnoſcunt. De Cleva ſimiliter opprimenda conſilium utile admodum, & ſalutare eſt; id enim ad tranſitus intercipiendos, & impediendum hoſtibus ad loca iſta acceſſum quam maxime facit. Ego quidem dimidiam exercitus partem ad tranſitus cuſtodiendos deſtinavi, id enim ad propulſandos hoſtes, & ſumptus minuendos expedit. De hoſtibus non dubito,

Sæc. XVII. bito, quin exercitu isto perterriti pacem breviter
 A. C. 1620. expetaturi sint. Hoc factum futurum, ut
 pax sua Catholicis restituatur, avidissimis
 præcedæ militibus aliquo modo satisfiat, &
 Catholicæ Majestatis auxilio susceptum o-
 pus istud esse, omnes intelligant.

Lotich. l. c.
 Theatr. Eu-
 rop. p. 497.

Ut ut autem de hujus epistolæ ve-
 ritate sit, id tamen non minus mirum,
 quam ridiculum est, quod rudiores
 Calvinistæ in sectæ suæ favorem varia
 commenti fuerint prodigia; narrant e-
 nim, quod ante Rheticam hanc cladem
 in Calvinistarum ædibus, apud Telli-
 nos & Tyranenses sæpius hæc vox fue-
 rit audita: *Væ, væ vobis! vindicta Di-
 vina ob insontis sanguinis effusionem vo-
 bis superveniet*: alii fabulabantur, se eo
 tempore, quo Antonius Bassus Præco
 Calvinianus ex pulpito declamare so-
 litus fuerat, campanas ultro sonantes
 audivisse, imo & ejusdem Prædicar-
 tis, qui ibidem capite plexus est, vo-
 cem fuisse auditam. Hæc & plura a-
 lia anilia commenta in vulgus sparge-
 bant, ut suam crudelitatem, qua
 Catholicorum vindictam in se provo-
 carunt, Religioso commento hone-
 starent.

§. XXIV.

*Helvetici belli initia.*Sæc. XVII.
A. C. 1620.

Tandem vero ex privata hac ultione *Ferrer. l. c. pag. 330.*
 exortum est commune bellum, *Merc. Gallob. t. 13. l. 3.*
 cujus origo & unica caussa exstitit Calvinistarum tyrannis: Grifones enim, ut Hispanos unacum Catholicis expellerent, Glaronenses & Valesios Helveticos, sectæ & fœderis vinculo sibi unitos in opem convocant, ac numerofo milite exeunte Mense Julio Tellinos obruunt, recuperatisque multis belli tormentis universam ferme ditionem subjugant: Verum Tellini Mediolanensibus copiis suffulti, ductore Hieronymo Pimentelo, die octava Augusti prope Ganderam Sondrium occupant & Grifones præfidiarios aggrediuntur, eosque in fugam agunt, tanto expeditionis successu, ut exinde territi Grifones Travona excederent, pluresque alii Pagi ad Hispanorum partes transferent, proin Tellina ditio rursus Catholicis redderetur, Hispanis Clavennam, & Rudolpho Planta Vallis - Monasterium versus progredientibus. Verum mutata forte Grifones a Tigurinis & Bernensibus aucti, profligatis Hispanis, Bormium & potissimum Tellinæ Vallis partem armis suis subjiciunt, omniaque

Sæc. XVII. que loca, per quæ transire, fœde de-
 A. C. 1620. vastant, atque in Mediolanensem di-
 tionem populabundi excurrunt, nec-
 non Tyrannium, quo Pimentelus cum
 suis confugerat, obsident, mox tamen
 cum ingenti suorum clade ab Hispanis
 repulsi: Hac ratione Hispani Vallem
 Tellinam & Bormium recuperarunt,
 inde vero æmulatione concepta Veneti,
 Gallique Protestantibus Rhetiis fauto-
 res accessere, ne Hispani viam hanc
 inter Germaniæ Italiæque confinia me-
 diam possiderent, Gallis Venetisque
 tanto magis infestam, quo magis com-
 moda accideret Hispanis; Sollicita-
 bantur ergo Galli ad fœdus ineundum
 non modo a Calvinistis, sed & a Vene-
 tis; quibus tamen a Guefferio Fran-
 ciæ Legato responsum, quod Ludovicus
 XIII. Galliarum Rex opem ferre
 detrectaret, nisi prius Catholicis jam
 per quinquaginta annos oppressis satis-
 factum sit, cum nuntiatum esset, quod
 non modo Grifones, sed & Helvetii
 Calvinistæ Catholicos omnes funditus
 eradicare intenderent: si vero hæc dis-
 fidia sine armis componi non possent,
 Rex junctis Venetorum & Sabaudi Re-
 gis viribus præsto esse, paratus foret.
 Interim superioris Rhetiæ Grifones a
 Catholicis subjugati pro reddenda pace
 quosdam articulos inire cogebantur;
 unde

unde decima Novembris die misso ad Sæc. XVII.
 Feriæ Ducem Oratore Joanne Giorio A. C. 1620.
 inducias, ac Vallis Tellinæ restituti-
 onem petebant, quibus a Duce die vi-
 gesima quarta Novembris in responsis
 datum, quod Hispaniæ Rex Tellinam
 suo imperio adjungere, nunquam co-
 gitarit, sed unice Religionis dissidia
 tolli petat, quibus sublatis cetera nul-
 lo negotio componenda forent: de ce-
 tero autem obstare teneretur, ne hæ-
 reticum virus in Mediolanensem ditio-
 nem, totamque Italiam diffunderetur.

§. XXV.

*Grisonum circa Religionis libertatem
decretum.*

Ex hoc responso, necnon ex Franciæ Merc. l. 60
 Regis declaratione Grifones Cal-
 vinistæ sat luculenter prospexerant, re-
 bus suis pene desperatis haud consuli
 posse, nisi saltem specietenus læsam
 Religionis Catholicæ libertatem repa-
 rarent: Hunc in finem indictis Lucer-
 nam comitiis ceteros etiam Calvinistas
 convocarunt, ipsisque annuentibus se-
 quens condiderunt decretum: „Quan-
 „doquidem notum omnibus sit, quam
 „varii in patria nostra tumultus hætenus
 „extiterint, quantæque ad opprimen-
 „dam libertatem nostram seditiones ex-
 „cita-

Sæc. XVII. „citatae ab inquietis ingeniis fuerint,
 A. C. 1620. „pro incommodis, malisque istis om-
 „nibus avertendis, mediante etiam ju-
 „ramento decrevimus, libertatem no-
 „stram cum vitæ, bonorumque omnium
 „iactura diligentissime tueri; religionem
 „unicuique liberam relinquere, pacem
 „colere, & honeste, quieteque invicem
 „vivere, ita tamen, ut cum præter
 „Romano-Catholicam, reformatam jam
 „passim invaluerit etiam religio, dua-
 „rum istarum religionum Romano-Ca-
 „tholicæ & reformatæ usus retineatur,
 „nulla autem præterea admittatur, sed
 „suam utrique parti exercere, libere
 „permittatur. Vota & juramenta om-
 „nia contra libertatem religionis in
 „duobus hisce punctis, auscultatione
 „verbi & Sacramentorum Christi, Ba-
 „ptismatis scilicet, & Cænæ Domini-
 „cæ usu, sancita, atque recepta pro-
 „abrogatis, sublatis, & omnino nul-
 „lis in posterum habeantur, nec quis-
 „quam eis stare teneatur. Quod si quis
 „sit, qui sprete religione utraque tem-
 „plum nullum frequentet, & nec con-
 „cionibus sacris intersit, nec Sacramen-
 „torum usum retineat, in eum Eccle-
 „sia ejus loci, ubi is habitat, animad-
 „vertendi potestatem habeat. Libe-
 „rum etiam cuicumque Ecclesiæ sit vi-
 „cinos pro libitu sibi adjungere. Utque
 „non

Sæc. XVII.
A. C. 1620.

„non verbis tantum, sed re ipsa quoque
 „duæ istæ religiones liberæ sint, & re-
 „vera exerceantur, liberum unicui-
 „bet personæ & Ecclesiæ sit, religio-
 „nem suam modis omnibus fovere, pro-
 „movere, & propagare, stipendia &
 „sumptus vel per se, vel per alios ad
 „eam conservandam conferre, Scho-
 „las & Seminaria constituere, & mi-
 „nistros Doctoresque in Ecclesiis &
 „scholis ordinare, & populo præficere,
 „nullo vel monachorum vel Jesuita-
 „rum vel reformatam etiam religionem
 „profitentium Doctorum habito disci-
 „mine, dummodo neutra pars alteri
 „præjudicet, sed jurisdictio sua cui-
 „bet salva relinquatur, personæ ho-
 „nestæ, & inculpabiles eligantur, &
 „a criminando atque calumniando ut-
 „rinque abstineatur. Spirituales &
 „Ecclesiastici, cujuscunque religionis
 „spiritualia tantum tractent & in voca-
 „tione sua Ecclesiastica permaneant,
 „nec politicis negotiis vel adhibean-
 „tur, vel ipsi se immisceant, pœna
 „remotionis, & bonorum, vitæque
 „ipsius pro delicti qualitate, amissio-
 „nis singulis proposita, ita ut pœnam
 „de ipsis magistratus omnis, sub cujus
 „jurisdictione reperti fuerint, vel si is
 „officium hac in parte non faciat, to-
 „ta universitas, sumendi potestatem
 „ha-

Sæc. XVII. „habeat, vel si ea etiam id facere ne-
 A. C. 1620. „gligat, privato cuilibet in eos anim-
 „advertere liceat, bonis eorum iis,
 „qui eos vita privarint, nisi tamen ad
 „Curientem Episcopatum, vel ædem
 „Tysidentem confugerint, ubi immu-
 „nitas ipsis præstabitur, adsignatis.
 „Judicia Tusis, Cicereti, & Davosi ha-
 „bita, omnesque ibi anno millesimo
 „sexcentesimo decimo octavo, nono,
 „& vigesimo factæ constitutiones, sive
 „scriptæ, sive typis impressæ extent,
 „conclusiones item in Galliæ, & Na-
 „varræ Regis præjudicium factæ ab-
 „rogentur, & jus suum cuique inte-
 „grum adversus eos, a quibus inique
 „læsus in judiciis istis fuit, reservetur.
 „In seditionum ex Venetis machinatio-
 „nibus profectarum auctores animad-
 „vertatur, machinationes vero ipsæ
 „nunquam posthac repetantur, & usur-
 „pentur. Hæreditaria cum Domo
 „Austriaca, Galliæ & Navarræ Regno
 „& provinciis, regionibusque aliis fa-
 „cta fœdera rata semper habeantur,
 „Galliæ simul Oratore, dummodo Rex
 „promissis steterit, in locum suum re-
 „stituto. Seditiones imposterum nul-
 „læ excitentur, vitæ fortunarumque
 „pœna earum, si quæ futuræ sint, au-
 „ctoribus denunciata & statibus, si
 „quid ejusmodi moliri voluerint, ex
 „fœ-

„fœdere exclusis, propriis ipsarum Sæc. XVII.
 „sumptibus debellatis, atque in servi- A. C. 1620.
 „tutem plane redactis. Civitas vel
 „privatus aliquis in fœderatos iudices
 „nihil prætendat, neque actionem con-
 „tra eos, nisi cum plerorumque fœde-
 „ratorum Senatorum præscitu & con-
 „sensu, sub prædicta in contra facien-
 „tes pœna, instituat. Claustrinæ ma-
 „chinationes omnes tollantur, iustitia
 „ex æquo omnibus administretur, &
 „in officiis constituendis facta a majo-
 „ribus anno millesimo quingentesimo
 „septuagesimo sexto constitutio sine
 „omni personarum respectu, observe-
 „tur. In Veltino, Wurmia & locis
 „aliis recuperandis, & ad fœderatio-
 „nem reducendis diligentia omnis, ac-
 „cessitis etiam in auxilium Gallis, Me-
 „diolanensibus, & aliis adhibeatur,
 „nec quicquam contra transactionem
 „& decretum hoc a quoquam sub in-
 „famix pœna, & vitæ fortunarumque
 „omnium iactura tentari atque suscipi
 „permittatur.”

§. XXVI.

*Principum, aliorumque illustrium
 obitus.*

Inter Viros illo ævo admodum cele- *Baldwin*
 bres, qui hoc anno decessere, pri- *chron. Ma-*
rat.
Hist. Eccles. Tom. LVII. G mo

Sæc. XVII. mo loco recensendus venit Mathias
 A. C. 1620. Hovius, qui per doctrinæ virtutumque
 gradus tandem ad Mechliniensis Ar-
 chiepiscopatus dignitatem ascendit, ac
 Alberto Archiduci & Isabellæ, quibus
 ob præclara sua merita percharus erat,
 a secretis esse meruit. Tres etiam
 Mechliniæ Synodos celebrabat, in qui-
 bus vere pastorali eloquentia de op-
 portunis abusibus in Ecclesiam irrepentes
 eradicandi mediis differebat. Obiit
 die vigesima Maij annos septuaginta
 octo natus, cui die decima sexta Junij
 Jacobus Jansonius Lovaniensis Profes-
 sor, & ad D. Petri Decanus oratione
 funebri, quam Balduinus recitat, in
 ipsius exequiis habita parentabat. Suc-
 cessorem in Archiepiscopatu habuit
 Hovius Jacobum Boonen Gandensem
 antea Episcopum. Eodem anno die
 decima tertia Maij Leovardiæ morta-
 litatem exiit Guilielmus Ludovicus
 Nassoviæ Princeps, Frisiæ, Groningæ
 & Drentiæ Gubernator, qui per annos
 ferme quadraginta patriæ libertatem
 & Calvinii sectam armata vi tuebatur,
 ac victoriarum & laborum, quos Mau-
 ritius Princeps subiit, individus com-
 es erat, populosque sibi subjectos
 prudentia regens, suis consiliis res de-
 perditas restaurabat, & prosperas sua
 fortitudine promovebat. Hunc pau-
 lopost

*Newill. hist.
 d' Hollande
 cap. 4.*

lopost sequebatur Ludovica Collignia Sæc. XVII
 Guilielmi I. Arausionensis Principis A. C. 1620
 Vidua Fontis bellaquei Mense Octobri
 defuncta. Hæc quatuor Viris nupta
 unicum susceperat Filium Fridericum
 Henricum. Commendabatur præcipue
 ob animi magnitudinem, qua Patris
 sui, duorumque Maritorum in Parisina
 Janiena occisorum mortem æquo fere-
 bat animo, eodemque æquitatis studio,
 reclamante etiam Mauritio Principe
 Barnefeldum ab infami supplicio libe-
 rare nitebatur. Corpus ejus ex Fran-
 cia in Belgium delatum, Delphti ter-
 ræ mandatum est. Tandem æternita-
 tis viam hoc anno ingressi sunt Fran-
 ciscus Pomeraniæ Dux, Ernestus Lu-
 dovicus Saxo - Lavenburgicus Dux,
 & Ernestus Dux de Croy & Arschot,

§. XXVII.

*Varia Sacrarum Congregationum
decreta.*

Occurrentibus variis dubiis, necnon *Congreg.*
 irrepentibus corruptelis sacræ Con- *Rituum &*
 gregationes satisfacere, atque occur- *Episcop. &c.*
 rere, hoc item anno intentæ erant, &
 primo quidem sacra Episcoporum Con-
 gregatio die vigesima prima Januarii
 declaravit, quod mulierum Confessio-
 nes post crepusculum vespertinum, &

Sæc. XVII. ante auroram non sint excipiendæ abs-
 que necessitate. Eadem vero die se-
 quentis Mensis a S. Congregatione Con-
 cillii Tridentini decilum est, quod Epi-
 scopus vigore Jubilæi prohibere non de-
 beat, ne quis Confessarius audiat con-
 fessiones extra Parochialem, & multo
 minus, ne absolvatur, qui damnum
 dedit in bonis Ecclesiæ, nisi prius
 damnum restituerit, ac injunctam pœ-
 nam exsolverit: de cetero autem Bul-
 la Jubilæi, ubi fit mentio de Sacerdo-
 tibus ab Ordinario approbatis, intel-
 ligenda sit de Ordinario ipsorum Sa-
 cerdotum, non autem de Ordinario
 Pœnitentium: declaratum quoque,
 quod si Canonici, dum in choro reci-
 tatur officium, discedant ad audien-
 das confessiones *devotionis causa*, non
 lucrentur distributiones: nec laudanda
 sit ea consuetudo, ut Episcopo cum Bi-
 reto sedenti ad Sedem suam caput de-
 tegatur, & cooperiatur ab altero ex Dia-
 conis assistentibus. Die autem quinta
 Aprilis ab eadem Congregatione deci-
 sum, quod Abbates Congregationis
 Cassinensis, uti Sedis Apostolicæ pri-
 vilegiis muniti, possint in locis eorum
 jurisdictioni subjectis campanas & Ca-
 lices benedicere. Demum Congrega-
 tio Sacrorum Rituum die secunda Maij
 decrevit, quod dum horæ Canonicæ
 reci-

recitantur in choro, non debeant exire Missæ privatæ ad Altare majus: Episcopus vero Canonicos ad discendum cantum Gregorianum, etiam fructuum subtractione cogere valeat: nona autem ejusdem Mensis die a S. Congregatione Concilii declaratum, quod qui accepit ordinem sacrum ante legitimam ætatem, adveniente ætate celebrare possit absque alia absolute, vel Dispensatione, quia suspensio a bona fide sic ordinato non incurritur, & Irregularitas ex defectu ætatis, ea adveniente tollatur ipso jure.

Sæc. XVII.
A. C. 1620.

Episcopi autem possint deficientibus Sacerdotibus Sæcularibus, deputare Regulares in Confessarios Monialium, dummodo sint idonei, & constituti in ætate quadraginta quinque annorum, & dummodo in tali munere non excedant triennium.

Pariter die vigesima Maij S. Congregatio Episcoporum declaravit, quod quando Abbas, vel alia dignitas obtinuit semel sibi tradi solemniter Mitram, Baculum, & alia Pontificalia, non sit necesse, quod talis sollemnis traditio renovetur amplius in Successoribus.

Die autem secunda Julij decisum, quod Regulares in suis Ecclesiis dies festos & jejunia annuntiare valeant ad Altare inter Missæ celebrationem, nec

Sæc. XVII. etiam prohiberi possint, quo minus Missam in eorum Ecclesiis celebrent ante Missam Parochialis Ecclesiæ: non tamen valeant deferre pluviale vel Stolum per Parochiam extra Ecclesiam vel claustrum, nec etiam intra Missæ celebrationem Matrimonia publicare: sacra vero Congregatio Concilii die vigesima prima ejusdem Mensis decidit, quod Episcopus Canonicos & Confessarios sub pœna pecuniaria cogere valeat ad congregationem casuum conscientiæ, secus tamen, si non audiunt confessiones: declaratum quoque die vigesima secunda Decembris, quod pro Animæ commendatione liceat Monialium Confessario ingredi cum rogeto & stola, & non aliter.

§. XXVIII.

*Petri Odeschalchi & Angeli de Rot-
ca obitus.*

*Ghilin.
Theatr. •
d'uom. let-
ter. Leti
Ital. Regn.
Dupin.
Nouwell
Bibl. des
Aut. Eccl.*

Ad censum Scriptorum Ecclesiasticorum, qui hunc annum vitæ suæ postremum habuere, merito revocatur Petrus Georgius ex nobili Odeschalchiano genere ortus, qui ob eminentem jurisprudentiæ Canoniciæ scientiam ingens sibi nomen comparabat. Conjuge sua orbatus, ac sacrae militiæ adscriptus, Romam venit, ubi a Sixto V. & Gre-

& Gregorio XIV. variis Ecclesiæ officiis præfectus, tandem a Clemente VIII. Alexandrinus Episcopus, & Apostolicus apud Helvetios Nuntius renuntiabatur, inde vero redux Viglebanam Ecclesiam insigni cum laude moderabatur, demum hoc anno die nona Maij ibidem fatis cessit: Edidit vitam S. Didaci, necnon Sixti V. Pontificis præter alia opuscula Ascetica. Alter erat Angelus Rocca ex Ordine FF. Eremitarum sancti Augustini, Vir in Ecclesiæ antiquitatibus longe versatissimus, qui Pontifici a Sacello, postea Tagastensis Episcopus nominatus, Romæ anno ætatis suæ septuagesimo quinto obiit. Edidit præter opera moralia, *Bibliothecam Vaticanam, Theologicam, & Scripturalem*, tractatus de *Canonisatione Sanctorum*, necnon tractatum de *communione Pontificis*, in quo tamen quandoque minus proprias affert rationes, & supposititiis nititur testimoniis. Scripsit etiam de *Apostolico Sacrario*, item de *sacro Christi corpore Pontificibus iter facientibus præferendo*. Albrechtus quoque de Salengre suo thesauro *Antiquitatum Romanarum* inseruit Patris Roccæ tractatum de *campanis*. Idem Author commentarium de *Rocca Contrada*, quæ urbs nativitatis suæ locus erat, posteris reliquit, unacum explicatione

Sæc. XVII.
A. C. 1620.

Sæc. XVII cujusdam tabulæ, in qua Sanctus Gre-
 A. C. 1620. gorius erat depictus: Adjecit insuper
 annotations in Sacramentarium S. Gre-
 gorii.

§ XXIX.

*Cornelius Breda, Languetus & alii
 hoc anno defuncti.*

Occurrunt adhuc alii Scriptores Ec-
 clesiastici, qui hoc anno deceffe-
 runt, quos inter primus erat Cornelius
 a Breda, qui postquam universam pen-
 Italiam non pedibus magis quam lau-
 dibus peragraverat, de veterum Ger-
 manorum moribus tractatum scripsit,
 cui titulus *cymba*, seu *errores Germa-
 norum*: sub Ferdinando II. Imperatore
 stipendia merebatur in bello contra Bo-
 hemos, in quo etiam Cremesæ occu-
 buit. Hunc sequebatur Claudius Lan-
 guetus Cabilioni in Galliis natus, qui
 die sexta Septembris obiit, posteris-
 que reliquit tractatum de rebus con-
 troversis adversus Theophilum Cassa-
 granium Calvinistam, necnon carmi-
 na latina in Bernardum Darandum.
 Præterea Petrus de Valentino, qui
 Madriti deceffit, edidit librum *de judi-
 cio erga verum*, pluraque ejusque opera
 nondum typis vulgata sparsim in variis
 Hispaniæ Bibliothecis reperiuntur, quæ
 morte

morte præventus elaborare haud poterat: Præterea vitæ suæ, quam usque ad octogesimum secundum ætatis suæ annum produxit, terminum fecit Michael Bartholomæus Salon Hispanus Eremita, qui Aragonensis Provinciæ Præfectus, atque in Valentino Gymnasio Theologiæ Professor librum *de Justitia*, necnon commentarium *in secundam secundæ Divi Thomæ* typis vulgavit: Denique Stephanus David Pampilonensis Canonicus scripsit: *Indicem juris Pontificii, & indicem Juris civilis tam textus, quam glossæ.*

§. XXX.

Diversorum Ordinum Scriptores eodem anno denati.

Ex celeberrimo Ordine Sancti Benedicti hoc anno præter P. Laurentium Bemard decessit P. Antonius Josephus, qui generalem Ordinis sui historiam conscripsit. Pariter FF. Prædicatorum Ordo non paucos Scriptores, qui Ascetica, Philosophica, & Historica reliquerunt opera numerat, præter hos vero inclaruit Robertus Guellin, qui tractatus Polemicos contra Calvinii Sectatores, necnon conciones quâdragesimales, enigmata sacra, aliosque sermones edidit. Exstat quo-

*Erhard
Script. Ord.
Præd. t. 2.
Bibi. Carmel.*

Sæc. XVII. que Patris Petri Mutoni *responsio ad e-*
A. C 1620. *pistolam Marci Antonii de Dominis ex Ar-*
chiepiscopo Spalatensi ad Anglicanos Pro-
testantes profugi. Utilem pariter tra-
 ctatum de contractibus & usuris edidit
 P. Romualdus Collius, non minus com-
 mendantur P. Joannis Lorencanæ Hi-
 spani quatuor volumina in universam
 S. Thomæ summam.

Ex ordinae Seraphico celebratur
 Marius de Calasio Romæ Hebraici idio-
 matis Professor, qui ibidem septuage-
 narius obiit; postquam quatuor volu-
 mina Hebraicæ Bibliorum concor-
 dantiæ conscripserat.

Inter Societatis Scriptores, qui
 hoc anno obiere, numerantur sequen-
 tes, & quidem primo scripsit Michaël
 Walpolus tractatum de subjectione Prin-
 cipum Deo Ecclesiæ, admonitionem
 ad Catholicos Anglos circa edictum
 Jacobi I. libellum de Antichristo con-
 tra Dounæum Calvinistam.

2 Caspar Sawickius *anatomiam Con-*
cilii de stabilienda pace Poloniæ Jesuitis ex-
pulsis, Dialogum de violenta Gedanen-
 sium Monialium proscriptione, Repli-
 cam Rumorum Posnaniensium ab Hæ-
 retico Ministro sparsorum &c.

3. Jacobus Gordonus epitomen con-
 troversiarum Christianæ fidei.

4. Ale-

4. Alexander de Angelis quinque Sæc. XVII.
 libros contra Astrologos conjectores. A. C. 1620.

5. Laurentius Masellus tractatum de
 Eucharistia, præter vitam B. V. & S. Jo-
 sephi.

6. Joannes Bordefius scripsit de ve-
 ris abusibus prætenforum abusu
 Missæ, & tractatum de Sacrificio Mis-
 sæ contra Calvinum &c.

Similes tractatus quoque conscri-
 psere PP. Diego Paz, Barretus, Tollgs-
 dorfus, Martinus Cajetanus, &
 Baillius.

§. XXXI.

*Joannis Cementarii, Piccarti & a-
 liorum Scriptorum Protestan-
 tium obitus.*

Inter A catholicos, qui Scriptoribus
 Ecclesiasticis in sua sphæra annume-
 rari merentur, primo obiit Joannes
 Cementarius natione Suevus, qui edi-
 dit tractatum de vita & morte miser-
 hominis, causas suicidii humani, &
 certamen inter Deum, hominem &
 Diabolum &c.

2. Michael Piccartus Norimbergen-
 sis, secta Lutheranus scripsit tractatum
*de ortu primo, & migratione veterum Ger-
 manorum, pericula criticorum, ideam ho-
 minis &c.*

3. Joan-

Sæc. XVII. 3. Joannes Hauberus itidem Lutheranus vulgavit disputationem de remissione peccatorum, & de Problemate Theologico, utrum Philosophandi ratio ad materias Theologicas adhibenda?

4. Gregorius Schönfeld Calvinista, quem alii anno Christi millesimo sexcentesimo vigesimo octavo obiisse referunt, scripsit centurias LV. Thesium Theologicarum, & disputationem de resurrectione mortuorum.

5. Valentinus Forsterus, Marpurgi natus, posteris reliquit tractatum de Jure Canonico, quatenus in academiis Calvinianis salva conscientia retineri valeat.

6. Richardus Kylby Anglus, qui publici juris fecit commentarium in Exodum, necnon sacrum Codicem cum translatione &c.

§. XXXII.

Hugonotarum Conciliabulum Alesiae in Galliis celebratum.

Synod. nation. des Eccles. Reform. t. 2. pag. 138. Halles. Hist. Concil. Dordrac.

Hoc item anno Calvinistæ in Galliis Præsidente Petro du Moulin Alesiae in Francia vigesimum tertium Sectæ suæ conciliabulum celebrarunt; Con-
venerant plusquam sexaginta ex variis Provinciis Pastores, ac Deputati. Hi Dordraceni Conciliabuli decreta tanquam Verbi Dei consona propugnato-
ros,

ros, & Arminii doctrinam velut *inse-* Sæc. XVII.
lix Pelagianismi lolium damnaturos, nec- A. C. 1620.
 non Calvinii dogmata constanter defen-
 suros, Sacramento se obstringere ju-
 bebantur Bearnenses vero Calvinista-
 rum Deputati hoc juramentum præ-
 stare renuebant, eo quod Calvinianæ
 Ecclesiæ disciplinam in Galliis intro-
 ductam sequi nollent. Postquam ergo
 Synodo datum erat initium, Avenio-
 nensis Provinciæ Hugonotæ petebant,
 ut in die, quo eorum Pastorculi nomi-
 nantur, jejunandum esset, ad hoc vero
 respondit Synodus, in antiqua disci-
 plina nihil esse innovandum: quoniam
 vero antea Calvinistæ decrevissent,
 quod in eorum Cæna calix, *quantum*
fieri poterit, etiam præbeatur, nunc
 deciderunt, illum unacum pane semper
 & omnibus esse distribuendum. Pro-
 hibet Advocatis, ne causæ, quæ ad
 stabiliendam Missam, vel oppressionem
 Ecclesiæ Calvinianæ vel ad matrimo-
 nium inter Personas diversæ Religionis
 spectat, patrocinentur. Postea Synodus
 correctis a quibusdam Vitæanæ Synodi
 decretis tres Pastorculos utpote Syno-
 dorum contemptores a Ministerii exe-
 cutione suspendit, aliis vero juvenibus
 quosdam redditus assignavit, quosdam
 Ministros ab aliis Synodis inique amo-
 tos restituit, & dissensione inter ipsos Pa-
 stores

Sæc. XVII
 A. C. 1620. stores compescuit, tandem unius diei
 jejunium indixit *ob depravationem mo-*
rum, quæ post Bearniam fidei Catho-
 licæ redditam *inter omnis generis homines*
in Gallis visa esset. Querebantur etiam,
 quod multi ad Ministerium fuerint as-
 sumpti, quin tamen de eorum inclina-
 tione ad hunc statum (perinde ac si a
 laicali esset distinctus) nec etiam de e-
 jus moribus &c. testimonium haberetur.
 Præterea Synodus novam excommuni-
 cationis formam invexit his verbis: *Re-*
scindimus te a communione Ecclesiæ, ex-
communicamus, & separamus te a societate
fidelium, ut sis sicut Ethnicus & Publica-
nus, sis in execrationem & anathema om-
nium verorum fidelium: hanc sententiam
ratam habebit Filius Dei, eamque efficacem
reddat, usque dum te converteris: male-
dictus, qui facit opus Dei negligenter. A-
men, anathema illi, qui non diligit Jesum;
Maranatha: Amen. Denique Montal-
 bensem, Guemosacanam, Furanum,
 Montpessulanum, Nemausensem, Gor-
 donniganum, Castro-Delphinum Pa-
 stores ob crimen adulterii, impudicitæ,
 ebrietatis, & furti officiis suis remo-
 verunt. Forte nec hi donum continen-
 tiæ conjugalis habuerunt.

§. XXXIII.

Sæc. XVII.
A. C. 1620.*Contentio inter Facultatis Theologicae Doctores & Patrem Arnulphum Jesuitam habita.*

Habebatur die decima septima Decembris anni prioris in Sorbonæ aula sollemnis disputatio, in qua Nicolaus Isambertus Præsidis, Jacobus vero Vignierus designatus Trecensis Episcopus Propugnantis partes obibant: Primam sedem occupabat Hugo Bentivolius Apostolicæ Sedis Nuntius, quem ordine suo sequebatur Condæus Henricus Borbonius Princeps, cujus auspiciis disputatio erat dicata: Ad erant quoque præter frequentem Nobilium coronam Valefius Agathensis, & Borbonius Metensis, Noviomensis, Lingonensis, & Bellovacensis Episcopi, necnon Lugdunensis & Bituricensis Archipræsules, unacum Vantadurio Duce. Insuper Princeps Condæus Patrem Arnoux seu Arnulphum Jesuitam, qui Regi a Concionibus & confessionibus erat, necnon Patrem Meratum defendentis Avunculum eo fine adduxerat, ut Pater Arnulphus argumentum proponere permetteretur, tacitoque consensu Jesuitæ sensim in Sorbonam irrepere possent: Priusquam igitur

*Argentre tom. 2.**Conclus. & jud. Facult. Paris. p. 118.*

Sæc. XVII. tur disputationi initium fieret, Prin-
 A. C. 1620. ceps cum Filesaco, qui ex senioribus
 Sorbonæ Theologis longe celebratissi-
 mus erat, remotis arbitris collocutus,
 eidem significabat, quod a Rege jus-
 sus, atque a Luynæo rogatus, con-
 cordiam inter Parisinæ Facultatis Do-
 ctiores & Jesuitas stabilire intenderet,
 eoquod hæc dissensio in Hugonotarum
 incrementum & Catholicæ Religionis
 opprobrium cederet: Ad hæc vero in-
 trepide reposuit Filesaccus, quod con-
 tentio, si quæ inter eos esset, nullate-
 nus Religionem spectaret: Instabat
 Princeps, quod Rex, Jesuitas sicut ci-
 vitati, ita & Parisinæ Universitati ple-
 no jure restitui petat: hanc in rem
 Condæus Regium edictum prælegit,
 postquam vero ad ea pervenerat ver-
 ba, quibus dictum, quod Rex *ob de-
 fectum eorum*, qui tam literas docerent,
 quam Religionem, pietatemque instil-
 larent, Jesuitas revocarit, mox File-
 sacus, qui hæc verba instigante Ar-
 nulpho in Regium edictum intrusa fuis-
 se noverat, Condæo respondit, hanc
 rationem a Jesuitis falso in eorum li-
 bello supplici fuisse allatam, eoquod
 multis ante Jesuitarum adventum sæ-
 culis Universitas semper longe celebra-
 rimis floruerit Doctoribus, nec etiam-
 num Studiorum exercitationes defi-
 ciant,

ciant, cum sex Theologiæ Doctores Sæc. XVII.
 quotidie per plures horas cum summo A. C. 1620.
 applausu doceant: Fatebatur equidem
 Princeps hanc caussam perperam
 fuisse allegatam, reponebat tamen
 se coram Patre Arnulpho declara-
 turum, quod hucusque quidem Je-
 suitis, cum eos Gallicæ Nationi in-
 festos & a Regis obsequio alienos cre-
 didisset, parum fuisset propitius, nunc
 vero illos utpote Regi addictos, pro
 viribus tueri, paratus esset: *noveris*
enim Filesace, addebat Princeps, *quod*
tanta sit Patris Arnulphi apud Regem au-
thoritas, ut tot, quot ei libuerit, Regis
mandata atque edicta, necnon Sanctioris
Consilii, si voluerit, duodecim decreta quo-
tidie extorquere valeat: proin non extre-
ma, sed mitiora remedia sunt tentanda.
 Ad hæc nonnihil commotior respondit
 Filesacus, *Regi integrum est, Sorbonam*
evertere, & novam erigere, ast videbit.
 . . . sermonis sui cursum reverentia
 Principis inhibuit, addere tamen in-
 tenderat, quod Religioni Regnoque
 maximum exinde damnum immineret.
 Tum vero Arnulphus Universitatis de-
 cretum, quo illi, qui alibi quam sub
 Sorbonicis Magistris operam Theolo-
 gicis disciplinis dederint, a Facultate
 arcerentur, injustitiæ postulabat, eo-
 quod per illud Studiosorum frequentia
Hist. Eccles. Tom. LVII.
H in

Sæc. XVII. in Societatis Collegiis impediretur:
 A. C. 1620. demum hoc edictum a Regio Senatu
 jure fuisse revocatum aiebat, petens,
 ut deinceps Jesuitæ in eodem jure,
 quo PP. Maldonatus & Tyrius in Uni-
 versitate ante Societatis ejectionem
 fruebantur, reponerentur. Ad hæc
 autem Filesacus reposuit, quod hoc
 Sorbonæ decretum jam a multis retro
 sæculis in usum fuerit deductum, no-
 vissime autem duntaxat innovatum,
 econtra autem Regii Senatus edictum,
 quod contra præfatam Facultatis legem
 P. Arnulphus impetrasset, sit luculen-
 ter iniquum, & adulteratum, eo quod ibi-
 dem referatur, illud *partibus auditis*
 fuisse conditum, cum tamen nullus
 omnino Facultatis Doctor tum fuerit
 vocatus, vel auditus: ad hoc autem
 reponente Arnulpho, quod ipsemet Fi-
 lesacus Universitatis nomine sese huic
 decreto opposuisset, hic ejusmodi op-
 positionem nonnisi quarto anno post e-
 ditum decretum Jesuiticum fuisse inter-
 positam ostendit, de cetero autem So-
 cietatis causam in pleno Facultatis con-
 fessu, non autem privato colloquio esse
 dirimendam, illudque Regii Senatus
 edictum in gravem Sorbonæ contume-
 liam ab Arnulpho fuisse obtentum sub-
 junxit: reponente autem præfato Pa-
 tre, quod Universitatis edictum non
 minus

minus Societati injuriosum sit, Filesa-
 cus eidem respondit, quod Facultatis
 edictum Jesuitas non nominasset, e-
 contrario autem Jesuitæ decretum con-
 tra Sorbonam extortum in publicis pla-
 teis affigi, & per circumforaneos his
 verbis: *Senatus consultum contra Sorbo-
 næ edictum*, proclamari curarint, non
 sine maxima Sorbonæ infamia, & Re-
 ligionis Catholicæ damno, cum impo-
 sterum omnes Facultatis censuræ in
 hæreticos, eorumque libros pronun-
 tiatæ a populo passim ludibrio habe-
 rentur.

Sæc. XVII.
 A. C. 1620.

§. XXXIV.

*Hujus dissidii, ac disputationis
 successus.*

His, pluribusque aliis ultro citroque
 disceptatis, tandem Princeps Con-
 dæus Disputationis locum ingressus est;
 mox vero instigantibus Jesuitis Vigne-
 rius Disputantis Parens quosdam Sor-
 bonæ Doctores interrogabat, num Je-
 suitæ ad disputandum parati in Prin-
 cipis gratiam argumentari, a Facultate
 permitterentur? cui tamen a Filesa-
 co responsum, facultatem suas habere le-
 ges, & constitutiones. Porro in po-
 meridiana disputatione Princeps The-
 sin, quam a Lescoto Bacalaureo postea

*Extract. ex
 monum. Fa-
 cult. Paris.
 relat. Mag.
 Bouvoti
 2. Jan. 1620.*

H 2

Carno-

Sæc. XVII. Carnotensi Episcopo petierat, ad Arnulphum transmisit, qua accepta idem
 A. C. 1620. Pater sese ad disputandum accingebat,
 quantumvis a Bidello monitus esset, in Facultate moris non esse, ut alii præter Baccalaureos publice argumentum proferrent, nihil tamen inde motus, idque sibi a Doctoribus fuisse concessum, liberius quam verius dicens ita incæpit: *Ex jussu Serenissimi Principis, & Facultatis consensu argumentor &c.* Hujus ausus novitate attoniti Præses, Doctores & Auditores, una voce exclamant: *Disputent nostri Baccalaurei, non patiantur, ut argumentetur Arnulphus:* Hic vero reponens hæc verba: *disputo cum consensu Doctorum,* rursus incipere parat: Tum vero ingens indignatio, Auditorum strepitus, exhibitio & crebra manuum complosio audiebatur: silentio autem ægre impetrato Bessæus Syndicus *contra hunc ausum,* inquiebat, *reclamo, ac nomine Facultatis Illustrissimum Principem exoro, ne nostras leges violari patiatur:* Hæc oppositio nequaquam effecerat, quominus Arnulphus se de consensu Doctorum disputationem suscepisse inquam, rursus argumentum suum proponere festinaret, sed rursus exoriantur vociferationes & sibi, necnon violentius concrepant subsellia. *Accedit*
 tertio

tertio iterata Syndici oppositio, quam Sæc. XVII.
A. C. 1620.
nihilominus sequebatur tertio repetita
Patris Arnulphi disputationem paran-
tis importunitas: sedato tumultu di-
sputantis Parens exclamat, jubere
Principem, ut Arnulphus argumenta-
retur: mox igitur hic cedere nescius
argumentum denuo proponere nititur,
sed denuo ingeminantur clamores, om-
nia denique tumultu miscentur: Unde
Facultatis Decanus, Syndicus, & Do-
ctorum nonnulli Principem accedunt,
supplices, ne iis insciis tumultum tam
infauste exortum Facultatis culpæ tri-
bueret, nec privilegia hucusque sem-
per inviolate conservata se præsentem
& annuente violari pateretur, juberet-
que, antiquum Facultatis morem ser-
vari: ad hæc Princeps respondit, nol-
le se quicquam in Facultatis præjudi-
cium moliri, gratum tamen habere,
si Pater Arnulphus, salvis Facultatis
legibus, argumentum proponere per-
mitteretur, hacque de causa tam ipse
quam Papæ Nuntius caverent, Facul-
tati hanc concessionem fraudi non fu-
turam. Tum vero Syndicus gravibus
omnino verbis Principi exposuit, quam
irreparabile vulnus Facultati infligere-
tur, si hac actione Jesuitæ Theologi-
cam Facultatem sibi Solis adsciscere,
eamque Societatis jugo subjicere per-

Sæc. XVII. mitterentur. His dictis Noviomensis
A. C. 1620. Episcopus subjunxit, legem a Facul-
tate hucusque semper custoditam pri-
vati unius hominis importunitate haud
esse violandam: Moclertus quoque Sor-
bonicus Doctor ad Arnulphum conver-
sus, dixit: Pater! legis adeo sanctæ,
& hucusque inviolate custoditæ viola-
tio nec in tuum retundat honorem, nec
consona est humilitati, quam utpote
Religiosus profiteri teneris: Ad hæc
Jesuita Deum, hominesque testabatur,
se invitum, & a nonnullis Facultatis
Doctoribus impulsam ad disputandum
accessisse: interrogatus autem, quinam
hi ex Doctoribus fuerint? Defendentis
Parens Filesacum nominabat; Hic
vero interposita fide Sacerdotali, & Sa-
lutis suæ pignore se duntaxat dixisse
affirmabat, quod Facultas suas habe-
ret leges. Tum rursus Jesutiarum fau-
tores de Facultate queruntur, eam
urgent, summam Condæo Principi in-
juriam inferri, ejus honori & dignitati
plurimum detrahi vociferantur, & non
levis criminis ream Facultatem incu-
sant infontem; econtrario Syndicus &
Doctores culpam omnem non in Facul-
tatem, sed in Jesuitas rejiciendam af-
ferunt, utpote quorum tacitis consiliis
& molitionibus hi tumultus contigif-
sent: altera enim post disputationem
die

die ipsemet Condæus fatebatur, quod a defendentis Parente Jesuitis addictissimo instigatus, Arnulphum ad disputandum admitti petiisset. Dudum lis in ambiguo hærebat, donec Noviomensis & Bellovacensis Episcopi Facultatis patrocinium suscipientes, Condæo Principi innuerent, Facultatis imo totius Parisiensis Universitatis nimium interesse, si passim omnibus liceret publice disputare in præjudicium eorum, qui de corpore suo essent, idque nunquam alicui permissum, nec permittendum fore. His igitur ac totius Ordinis Theologici suasionibus permotus Princeps, Arnulpho præcepit, ut a cæptis desisteret, & propositum mutaret, ne gravior capiti suo ingrueret tempestas. Rebus sic pacatis disputatio hoc tumultu toties interrupta ad tres omnino horas placidissime protracta est, qua finita Princeps hanc controversiam prudenti silentio dissimulandam, de opportunis tamen Sorbonam cum Societate conjungendi mediis cogitandum hortatus est.

Sæc. XVII.

A. C. 1620.

§. XXXV.

*Quædam Facultatis Theologicæ
censuræ.*

H 4

Die

Sæc. XVII.
A. C. 1620.

Argentv. l. c.

Die prima Junii hoc anno Facultas Parisiensis Theologica quamdam Cosentini Franciscani librum tanquam temerarium, scandalosum, & sacris literis adversum proscripsit, eo quod hic Author Christum & Apostolos nunquam carnes comedisse, earumque usum Apostolicis Viris vetitum esse propugnarit: quarta item Novembris die eadem Facultas duodecim Doctoribus negotium dabat, ut Biblia Sacra vulgari idiomate a Petro Frizonio edita ab omnibus erroribus expurgarent, interdicta interim eorum lectione.

§. XXXVI.

*Lovaniensis & Duacensis Academiae
judicium circa quædam vota.*

*Argentre
coll. Judic.
tom. 2.*

Ejusdem anni die prima Decembris Pater Michael Potier ex Ordine Fratrum Prædicatorum Theologicæ Facultati exponebat, quod Moniales Carmelitæ Discalceatæ, quæ in Francia jurisdictioni Episcoporum subsunt, a designato quodam Visitatore ad emitenda quædam vota immerito ac injuste fuerint coactæ, proin an ea sint legitima, earumque conscientiam obstringant, serio examinari, & æquali lance ponderari, a Facultate Parisina tanquam difficultatum ad doctrinam perti-

pertinentium æquissimo Judice pete- Sæc. XVII.
 rent: Ea autem vota, quæ *juxta Visi-* A. C. 1620.
tatoris sui mentem emittere jubebantur,
 erant sequentia: „In honorem Sanctif-
 „simæ Trinitatis voveo Deo & B. Vir-
 „gini perpetuam servitutem, abrenun-
 „tio omnibus meis viribus & libertati-
 „bus disponendi de me, & de mea vi-
 „ta, cunctisque actionibus meis, quas
 „omnes in manus B. Virginis plene re-
 „mitto, ut in omnibus ejus dominium
 „& potestas in me adimpleatur. Fa-
 „cio eidem integrum & irrevocabile
 „sacrificium omnium, quicquid sum
 „in ordine naturæ & gratiæ, ad eam
 „deinceps post ipsius Filium referam
 „animam & vitam meam internam &
 „externam, & omnia, quæ mea sunt.
 „Perpetuum ero ipsius mancipium, sicut
 „ipsa facta est ancilla Domini, & ut
 „tali voveo, quod ex Servitutis jure
 „omnia mea, & quodlibet vitæ meæ
 „momentum ad eandem pertinere ve-
 „lim. Voveo etiam, quod diserte nun-
 „quam hanc donationem revocare ve-
 „lim. Veneror B. V. Maternitatem,
 „propter quam acquisivit dominium in
 „omnes creaturas, illud autem, ut in
 „animam meam, omnesque actiones
 „meas exercent, specialiter volo, eam-
 „que rogo, ut ipsamet sibi vindicare
 „velit dominium in me, quod ego illi
 „dare

Sæc. XVII. „dare nequeo, supplico etiam, ut me
 A. C. 1620. „suam reddat ancillam eo modo, quo
 „ipsa cognoscit & ego non agnosco, me-
 „que habeat tanquam mancipium suum:
 „Christum Dominum meum pariter
 „rogo, ut deinceps me pro Sanctissi-
 „mæ Matris suæ mancipio agnoscat,
 „Voveo Deo, Christo Domino, ejus
 „humanitati deificatæ, & Divinitati
 „humanisatæ perpetuam servitutem,
 „& unio me Christo Domino, ejusque
 „humanitati per vinculum servitutis,
 „qua ei subjicio omnes meas vires,
 „Adoro vitam & exinanitionem Divi-
 „nitatis in hac humanitate, in Divini-
 „tate omnes actiones humanas, Divi-
 „nas, & Theantricas, quibus confecro
 „vitam, & omnes tam naturæ quam
 „gratiæ actiones meas jure servitutis
 „debitas. Adoro humanitatem Christi
 „propria sua subsistentia destitutam, &
 „Divina vestitam, & offero humanitati
 „deificatæ plenam oblationem & do-
 „nationem irrevocabilem omnium, quæ
 „habeo & sum tam in ordine naturæ
 „quam gratiæ, & me Christi Domini
 „ejusque humanitatis perpetuum esse
 „mancipium profiteor, &c.,

Hos, similesque plures ejusmodi
 affectus suis Monialibus Visitator ac
 Superior sub voti Religione præscri-
 pserat, hæc vero de ejus valore dubi-
 tantes

tantes ad Facultatis iudicium ac cen-
 suram recurerunt: Attamen Andreas Sæc. XVII.
 A. C. 1620.
 Duvallius Sorbonæ Doct̃or, atque ex
 harum Virginum Visitatoribus unus a
 Regio Senatu obtinuerat, ne Parisien-
 sis Facultas Theologica de hoc voto
 quicquam statueret, sed res tota ad Fa-
 cultates Lovaniensem & Duacensem
 deferretur. Præprimis igitur Lovanien-
 sibus hæ fuerant propositæ quæstiones.
 I. Utrum Superior vel Visitator ali-
 cujus Ordinis approbati possit suos sub-
 ditos cogere ad præfata vota. II. An
 ipsa hæc vota sint bona vel mala. III.
 Utrum Moniales, quæ ejusmodi vota
 jam emiserunt, ad ea observanda ad-
 stringantur. Ad primam igitur quæ-
 stionem responderunt Lovanienses, Car-
 melitas Excalceatas in solemni sua pro-
 fessione vovere obedientiam secundum
 Regulam suæ Religionis primitivam:
 hæc autem nihil præscribat de ejus-
 modi votis nunc propositis. Non pos-
 sunt igitur Regulares istæ ad eorum ob-
 servationem cogi, urgeri vel compelli.
 Docuit enim de præcepto, & Dispen-
 satione, atque etiam Epistola octogesi-
 ma tertia Sanctus Bernardus, Religio-
 sas invitari quidem posse, non autem
 cogi ad ea, quæ regulam, vel regula-
 rem disciplinam excedunt.

Præ-

Sæc. XVII.
A. C. 1620.

Præterea observandum ajebant, Regulares sub Superiorum potestate constitutos non posse sine eorum consensu ulla vota emittere, aut semetipfos supra vel extra Regulam, aut regularem disciplinam obligare.

Sicut enim Religiosi non obligantur ultra regulam vel regularem disciplinam obedire, ita nec Superiores extra vel supra easdem possunt quicquam imponere aut mandare, quia præcepta debent esse justa: non juste autem præcipitur, ad quod subditus non obligatur tali prohibitione. Accedit, quod Religioni novum votum adijcere fit illi induere novam formam: id autem circa Religionem approbatam fieri non possit absque autoritate illius, cujus est Religionibus dare institutum, vel formam approbare. Ergo per solum Visitatorem, vel etiam totius Ordinis Superiorem tale quid fieri nequit, quia talis adjectio, quæ ante Ordinis approbationem non habet debitam autoritatem, post approbationem immutat ac temerat, quod a suprema autoritate certo modo ac forma stabilitum est. Quocirca quicunque Religiones approbatas mutare, vel ad rectiorem voluerunt reducere formam, Pontificis consensum semper conati sunt obtinere.

Ad

Ad alteram vero quæstionem re-
 sponderunt Lovanienses Theologi, quod
 illa, quæ in his votis exprimuntur, non
 sint saltem magna ex parte conveniens
 voti materia. In primis, quia refe-
 runtur ad intentionem Visitatoris vo-
 tum istud proponentis. Intentio au-
 tem ipsius secreta est, & mutabilis,
 non autem prudenter promittitur, quod
 non cognoscitur, aut instabiliter varia-
 tur. Accedit, quod pleraque, quæ
 novo huic voto subjiciuntur, imagina-
 ria sint nec multum solida, aut saltem
 sunt talia, circa quæ hæreas, num sa-
 tis intellexeris, aut unquam satis ex-
 plexeris, ut per illa in innumeros in-
 cidas Scrupulos, & Conscientiæ anxie-
 tates, cum ea vota, quæ voto Reli-
 gionis Deo promittuntur, plana esse
 debeant, & ab ipso Christo com-
 mendata.

Pro solvenda tertia difficultate cen-
 suere Lovanienses, quod quamvis hoc
 votum haberi possit pro irrito & inani,
 ad majorem tamen securitatem expe-
 diat, ut vel a Generali Ordinis vel a
 Pontifice petant id annihilari, vel fal-
 tem supra id secum dispensari.

Duacenses vero Theologi pariter
 sibi proposuere tres quæstiones, & I.
 quidem, an hoc votum non sit reproban-
 dum tanquam laqueos injiciens, eo-
 quod

Sæc. XVII.
 A. C. 1620.

Sæc. XVII. quod verbis obscurissimis proponatur, A. C. 1620. & quæ nullo modo capi possint a fœminis, & cum juxta illas vota emittantur ad intentionem ejus, qui prædictam formulam concipit, qui eo conceptu multa impertinentia, imo contra regulas Ordinis & rationem præcipit. II. Utrum non sit temerarium talem formulam proponere, juxta quam Moniales emittere debeant vota. III. An obligentur eæ, quæ ejusmodi vota emisissent; continuis enim scrupulis aguntur ignaræ, ad quid se obligaverint?

Ad primum censuere Theologi, hæc vota esse rejicienda propter animarum pericula, & perturbationem conscientiarum, præcipue cum concepta sint obscurissimis verbis, votum tamen clarissimis verbis fieri soleat, ut patet in professione Monachorum, & Monialium, ubi omnis obscuritas tollitur. Deinde quia votum est promissio deliberata, qualis esse non potest, quando tanta in verbis intervenit obscuritas, quam non potest diffiteri quicumque hanc formulam concepit, cum requirat, ut secundum intentionem suam, sive Visitatoris, emittantur ejusmodi vota, prout hic ab eo proponuntur. Nimirum sibi persuasum habens, paucas, & nullas forte fore Moniales, quæ
for-

formulam intelligerent, quod certe est Sæc. XVII.
 contra communem sensum Ecclesiæ. A. C. 1620.

Tertio. Non videri omnia, quæ sunt in hac formula satis commode dicta & expressa, & potuisse ad paucissima verba contrahi, qualia sunt: *Ego me totam meaque omnia Christo devoveo & Beatæ Virgini Matri Maricæ, eo quo possum meliore modo, magis autem Salutare foret, si a Monialibus nulla alia expeterentur vota, quam ea, ad quæ tenerentur cum observatione regulæ.*

Ad secundum dicitur, omnino temerarium esse talem formulam proponere Monialibus, nec posse, nec debere superiorem cogere eas ad sic devovendum, imo teneri in conscientia ad irritanda ejusmodi vota taliter facta, non tantum earum, quæ scrupulum habent, sed & omnium, & cavere, ne similis unquam formula proponatur ullis sequenda: plus enim Deo placet indocta Simplicitas, quam ingeniosa subtilitas, maxime in Religiosis, qui cum Paulo fateri debent, se nihil aliud scire, quam Jesum & hunc crucifixum, neque major ex his votis sperari potest perfectio, quam ex votis Religionis: quandoquidem si vota, quæ hic proponuntur, emissa fuissent ante vota Religionis, essent commutanda secundum Alexandrum Tertium in capite *scripturæ*

Sæc. XVII. *pturæ de voto, quem omnes sequun-*
 A. C. 1620. *tur, ubi ait: reus fracti voti aliquatenus*
non habetur, qui temporale obsequium in
perpetuam Religionis observantiam nosci-
tur commutare.

Ad Tertium. Satis probabile vide-
 tur, Moniales non obligari in Conscien-
 tia ad ejusmodi vota servanda, quæ
 sic inconsiderate voverunt, sed etsi ob-
 ligarentur, satis eis esset pro securi-
 tate Conscientiæ, quod teneant se con-
 secratos ad honorem Christi, & Beatæ
 Matris, & omnia sua saltem virtualiter
 ad Christum referant, & contra ejus Ma-
 trem nihil agant, quod directe aut indi-
 recte scirent ex proposito, esse tali voto
 contrarium. Securius tamen est, ut ejus-
 modi vota irritentur per eum, qui in-
 duxit, ad quod tenetur, vel per Supe-
 riorem, & ad hoc sufficit levitas, &
 inconsideratio voverentium, & pericu-
 lum peccati perjurii secundum omnes
 Doctores in materia de voto.

§. XXXVII.

Romanorum Censurum judicium con-
tra quosdam libros.

Jan. Nic. *Prodiit hoc anno Augustæ Vindelico-*
 Erythr. Pi- *rum liber agens de anno primitivo ab ex-*
 nac. I. p. 196. *ordio mundi ad annum Julianum accommo-*
dato, & de sacrorum temporum relatione.
 In

In eo Hieronymus Vechietus patria Sæc. XVII.
 Florentinus, insignis Mathematicus, A. C. 1620.
 & Chronologici hujus operis Author, Argentre
 octo omnino libris, ex folis, Lunæ Coll. jud.
 que ratione, quam perperam fors de- t. 3. p. 230.
 ceptus inierat, probandum suscepit. Index Rom.
 quod Christus Dominus, pridie, quam libr. proh.
 pro nobis mortem oppeteret, solemne Hist. d' Eccl.
 illud Agnis Paschalis convivium ulti- Dupin. t. 4.
 mamque cænam unacum suis Discipu-
 lis illa die, qua Judæi Agnum Pascha-
 tis comederunt, non celebravit, sed
 præcedente die: quoniam vero hæc
 doctrina errorem, qui a Photio in sua
 Bibliotheca Cod. 115. & 116. refelli-
 tur, instaurat, aliunde vero sacris lite-
 ris, & Sanctorum Patrum sententiæ
 adversatur, ideo hic liber jussu Roma-
 norum Quæstorum in ignem conjectus,
 & die secunda Decembris anno Christi
 millesimo sexcentesimo vigesimo secun-
 do proscribitus fuit, ejus vero Author,
 quia suam sententiam nec interpretari
 & corrigere, nec sese Censorum judi-
 cio subicere voluit, per multos annos
 in carcere detentus contabuit, & octo-
 genarius obiit.

Jam antea Romani Censores sex
 Nicolai Copernici libros de revolutio-
 nibus Orbium cælestium omnino pro-
 scribendos censuere: quia vero hoc an-
 no emendatior hujus operis editio

Hist. Eccles. Tom. LVII, 1 sue-

Sæc. XVII. fuerat concinnata, hinc Romana Congregatio Indicis sequens decretum die A. C. 1620. decima quinta Maij promulgari iussit: *quamquam scripta Nicolai Copernici, nobilis Astrologi, de mundi revolutionibus prorsus prohibenda esse, Patres sacre Congregationis indicis censuerint, ea ratione, quia principia de situ & motu terreni globi sacre Scripturæ, ejusque veræ & Catholicæ interpretationi repugnantia, (quod in homine Christiano minime tolerandum est,) non per hypothese[m] tractare, sed ut verissima astruere non dubitat, nihilominus, quia in iis multa sunt Reipublicæ utilissima, Copernici scripta ad hunc usque diem typis impressa permittuntur: iis tamen correctis juxta subjectam emendationem locis, in quibus non ex hypothese, sed asserendo, de situ & motu terræ disputat.*

Ceterum haud diffitendum est, quod ex maximis obstaculis, quæ in naturalis scientiæ progressu, ac proin in ferendo iudicio de naturæ arcanis occurrerunt, haud minimum fuerit, quod veteres in perficienda humana ratione nimium attenti, sensuum notitiam neglexerint, & maximam rerum partem divinare potius, quam videre oculis voluerint. Huic malo remedium paratum est a Modernis, cum de sensuum & præcipue visus operatione perficienda occupati, plura adinven-

rint

runt instrumenta, quorum ope non pauca naturæ arcana fuere detecta, quæ Antiqui plurium sæculorum decursu cum omnibus suis rationibus assequi non potuerunt, & non raro aut inter miracula, aut magicas artes reponere.

§. XXXVIII.

Fridericus Palatinus, Joannes Georgius Brandenburgicus, Christianus Anhaltinus aliique a Ferdinando Cæsare proscripti.

Quamvis Fridericus Palatinus ab omnibus ferme Provinciis derelictus, atque exigua reparandi belli spe firmatus, in Brandenburgensi Marchionatu hæreret, Ernestus tamen Mansfeldius exulis hujus Principis res non tam ar-
Lotich. Rev. Germ. l. 8. cap. 3. Merc. Gattlob. p. 219. Meteran. pag. 318.
 mis, quam astu, dolisque, qui ei perinde ac militaris audacia præsto fuere, tueri satagebat. Præprimis vero Pilsenam ac Taborinam urbes, quæ ceteris omnibus ad Cæsaris obsequium reversis adhuc in Palatini fide persistebant, firmo præsidio munire curabat: cum autem Cæsareo exercitui diutius resistendo impar esset, hostem dolosa Bohemiam relinquendi spe distingere constituit, ac opportune oblatam sibi a

Sæc. XVII. Cæsare ingentem pecuniæ vim acce-
A.C. 1621. ptans, pro maturando hoc negotio a-
 liquot hebdomadam inducias petiit,
 obtinuitque, quarum securitate de-
 ceptis Cæsareis, atque magnam par-
 tem per hiberna dispositis, ipse interim
 collectis e fuga quamplurimis, Schla-
 kenwaldam & Tachaviam Bohemiæ
 oppida expugnavit, totaque circum
 Regione prædis, exactionibus, ac in-
 cendiis late devastata, tam validas
 corrasit vires, ut jam Pragensi urbi
 mox intercipiendæ minaretur. Ut
 vero Cæsar a Mansfeldio turpiter delu-
 sus, Bohemorum calamitatibus mede-
 retur, in ejus caput, si vivus adduce-
 retur, centum, si mortuus, decem
 florenorum millia constituit: inde ve-
 ro Mansfeldius ferocior factus, vicif-
 sim plurimos Equites, & Dynastas,
 eoquod ad Cæsaris fidem rediissent, in-
 humana sævitia vexavit, necnon
 Schlakenwertham, Elenbogium, & Val-
 lem Joachimicam emissis Taborensibus
 præsidiariis eo adegit, ut ferrum &
 ignem, omniumque expilationem, hor-
 rendamque militum libidinem pecu-
 niis redimere cogentur, Ruppovia
 & Döppelio jam antea continenti in-
 cendio deletis. Postea Mansfeldius die
 vigesima octava Januarii a Bethlenio,
 quem Regem nominabat, datis Schlag-
 gen-

genwalda literis quantocius duo Hun-
garorum Equitum millia pro extirpan-
da Papæ tyrannide, & Hispanorum
jugo sibi submitti petebat. Verum
perfida Mansfeldianorum crudelitas,
cum ad aures Maximiliani Bavarix Du-
cis pervenerat, eundem adduxit, ut
Tiliū supremum suum Armamen-
tarii Præfectum cum equitum peditum-
que quinque millibus in Bohemiam mit-
teret, Mansfeldianos repressurum. Hic
ergo acceptis ex urbe Pragensi aliquot
belli tormentis, & duobus insuper ar-
matorum millibus Tachaviam, Schla-
kenwaldam, Altsatteliam, aliaque Al-
bini Schlickii, qui ex præcipuis Bohe-
miæ Directoribus aufugerat, oppida
recuperavit, quingentis Mansfeldii mi-
litibus trucidatis: Interim vero Saxo-
niæ Elector per suos Legatos Egram
civitatem ad Cæsaris obedientiam re-
vocavit, tantumque apud Senatores
profecit, ut equestre præsidium in ur-
bem, & quingentos pedites in subur-
bium admitterent: Rebus ita constitu-
tis Cæsar omnia hucusque sub Fride-
rico Pragæ acta, aut decreta tanquam
irrita prorsus declarabat, ipsum vero,
sicut & Joannem Georgium Branden-
burgicum Jægerndorsium Marchionem,
Christianum Anhaltinum, & Geor-
gium Fridericum Comitem Hohen-

Sæc. XVII.
A.C. 1621.

*Theatr. Eu-
rop. p. 523.
Londorp.
acta publ.
l. 5. p. 852.*

Sæc. XVII. loensem aliosque Proceres affixis passim per Imperium diplomatis prescriptis, eosque uti læsæ Majestatis reos omnibus dignitatibus, & fortunis privavit, cujus sententiæ die vigesima nona Januarii Viennæ promulgatæ executio contra Fridericum Alberto Archiduci in inferiori, & Bavaricæ Duci in superiori Palatinatu, adversus Brandenburgicum & Anhaltinum Electorem Saxonicæ, ac demum contra Hohenloensem Bambergensem, & Herbipolensem Episcopis demandata est. Hæc prescriptio tantum Silesiæ Ordinibus metum incussit, ut Cæsaris clementiam implorarent, veniamque ea lege obtinerent, ut fidei juramentum jam antea præstitum innovarent, milites suos dimitterent, & intra unius anni spatium ter centies mille florenos solverent. Pariter Moravicæ Ordines veniam, quam per Legatos suos a Cæsare petebant, obtinere, ita tamen, ut Ferdinandus paternam sibi animadversionem, semper reservaret: Tandem etiam ex prescriptis Austriacis non pauci in Cæsaris gratiam rediere.

§. XXXIX.

*Fridericus Palatinus Principum
opem implorans.*

Inte-

Interim Fridericus, etfi accepta clade Sæc. XVII.
 bellum propriis viribus redintegrare Sæc. 1620.
 haud posset, aliena tamen eorum, qui
 eidem tam Religionis quam Auftriacæ
 Domus odio adhucdum adhærebant,
 ope ac subsidiis in spem recuperandæ
 Bohemiæ erigebatur. Hos inter sicut pri-
 mas tenuit Ernestus Mansfeldius, ita
 Palatinus die secundo Februarii datis
 Gualpherbyto literis impense eum roga-
 bat, ut ad profequendum bellum, & recu-
 perandum Bohemiæ Regnum nullis
 viribus, nullisque expensis parceret:
 Prius vero die secundo Januarii apud Londorp.
 Seniorem Comitem Turrianum, & o- acta publ.
 ctavo Februarii die apud Gabrielem lib. 5.
 Bethlenium acerbe querebatur, quod Merc. t. II.
 Moravi & Silesii ab ejus obsequio de- l. 2. p. 234.
 fecerint; quapropter, ut contra eos,
 validam ei opem præstarent, ambos
 rogabat, pollicitatione facta, quod post
 bimestre cum viginti armatorum mil-
 lium exercitu, quem Angliæ, Daniæ
 & Sueciæ Regum aliorumque Princi-
 pum ope contraxisset, in Bohemiam
 irrumpere, ac sædifragos ferro flam-
 maque delere velit. Obstabat tamen
 amplæ hujus spei successibus Saxonæ
 Electoris potentia; quocirca Palatinus
 Georgium Fridericum Comitem Ho-
 chenloensem ad eum ablegabat, sup-
 plex, ut opportuna suggerere velit me-

Sæc. XVII. dia, quibus Religio conservari, Bohem-
 A. C. 1621. iæ Electoratus deinceps per liberam
 electionem ad Reges devolvi, & Cæ-
 sareæ electio, quam Papistæ ob potio-
 rem suffragiorum partem sibi alias pro-
 priam facerent, eisdem eripi posset:
 Hunc in finem Palatinus nil aptius fore,
 proponi curabat, nisi, ut bimestres de-
 cernerentur induciæ: Verum Joannes
 Georgius Saxonæ Elector ad hanc Pa-
 latini propositionem die undecima Fe-
 bruarii Dresda rescripsit, quod ex pro-
 spero Pragensis victoriæ eventu Cæsa-
 reæ causæ æquitas, & usurpatæ co-
 ronæ iniquitas luculenter demonstrata
 fuerit, nunc vero nimis sero remedium
 petatur ab iis, quorum sana consilia,
 preces, & hortationes inconsultæ do-
 mandi libidini, & alienas ditiones in-
 vadendi cupiditati posthabitæ fuerunt:
 id vero unicum supersit remedium, ut
 Palatinus ab omni hostilitate adversus
 Cæsarem abstineat, eidem integrum
 Regnum restituat, & præstita submis-
 sione veniam ob læsæ Majestatis cri-
 men petat.

§. XL.

*Rebelles Bohemiæ Directores custodiae
 traditi, absentes comparere
 jussi.*

Ne

Ne vero perduellionis impunitas no-
 vis in Bohemia tumultibus ac se-
 ditionibus fomitem præberet, Ferdi-
 nandus Cæsar in præcipuos Bohemicæ
 rebellionis Authores animadvertere co-
 gebatur. Eapropter illos, qui sese Bo-
 hemicæ Directores nominabant, nec non
 alios horum motuum reos in custodiam
 dari iussit, ipsumque Carolum Lichten-
 steinium Principem unacum aliis unde-
 cim Viris, generis nobilitate, doctri-
 na, morumque integritate conspicuis
 nominabat, qui Pragæ convenirent,
 & adversus reos iudicii acta instrue-
 rent: die igitur decima septima Februa-
 rii Liechtensteinius publicis literis Hen-
 ricum Turrianum, & ambos Schli-
 ckios Comites, Sorettam, Caplerum,
 Rosinum juniorem, Berbisdorffium,
 utrumque Berckam, Valeslavium, Mul-
 nerum, Ruppam, Goliathum, Micha-
 lowitzium, Erteum, Cifetzam Cutna-
 werum, Luchsanum, Cnodium, Fra-
 winium, Georgium Doctorem, Hode-
 gnoscium, Huffnagelium, omnesque
 alios, qui reportata victoria e Regno
 profugi iuramentum Cæsari non præ-
 stiterunt, ad iudicium vocabat, denun-
 tiatione facta, ut intra sex hebdoma-
 das Pragæ comparerent, secus, sen-
 tentia in eos, licet absentes, nihilo-
 minus exequenda foret. Sub idem fer-

Sæc. XVII.
 A. C. 1621.

*Lotich. rer.
 Germ. l. 8.
 cap. 4.*

*Theatr. Eu-
 rop. p. 531.*

Sæc. XVII. me tempus utriusque Austriæ Proce-
 A. C. 1621. res, Schafftenbergius Starenbergius,
 Wolfgangus & Erasmus a Gera, alii-
 que perduellionis rei sponte compa-
 rentes in custodiam jussu Maximilia-
 ni Bavarix Ducis redigebantur: Lan-
 davio autem, Tschernembelo, Jörge-
 ro, Ungnadio, aliisque profugis bona
 intercepta, atque ærario adjudicata
 fuere, eorum Prædicantibus inde di-
 missis: Joachimus autem Comes de
 Schlick a Saxonis interceptus, Pra-
 gam abducebatur, ac denique Frideri-
 cus Baro de Tieffenbach patria Mora-
 vus, & secta Lutheranus, præcipuus
 seditionis promotor in Lucernensi Pago
 captus, atque a Cæsareis militibus
 Oenipontem abductus, ibidem capite
 plexus est.

§. XLI.

*Septem Cardinales a Paulo V. Pur-
 pura decorati.*

*Ciacon. in
 vita Pauli V.
 tom. 4.* **D**um Cæsar Pragæ seditiosam quo-
 rundam impietatem debitis pœ-
 nis ulcisci parabat, interea Paulus V.
 Pontifex die decima quarta Januarii
 Romæ septem Prælatorum merita pu-
 blicis Sacræ Purpuræ honoribus com-
 pensare studebat. Horum primus erat
 Petrus Valerius patria Venetus cele-
 berrimi

berrimi Cardinalis Augustini Valerii Sæc. XVII.
 Nepos. II. Itelius Fridericus Comes A. C. 1621.
 a Zollern Germanus. III. Julius Ro-
 ma, Nobilis Mediolanensis. IV. Cæ-
 sar Gherardus Perusinus. V. Frater
 Desiderius Scalia Cremonensis ex Sa-
 cro Ordine FF. Prædicatorum assum-
 ptus. VI. Stephanus Pignatellus, iti-
 dem Perusinus, VII. Augustinus Spi-
 nola Patritius Genuensis.

§. XLII.

*Paulus V. Pontifex Maximus inopi-
 na morte sublatus.*

Hos Cardinales Paulus V. Pontifex
 in Aula Quirinali purpureis qui-
 dem pileis ornabat, nulli tamen eorum
 Ecclesiæ titulum assignare poterat, in-
 tempestiva nimis morte præventus;
 postquam enim die vigesima Januarii
 ædem Divo Sebastiano sacram, & post-
 ridie Sanctæ Agnetis Templum reli-
 giose lustraverat, mortem suam immi-
 nere præfagiens, proximo die ad suum
 facellum in Exquiliis lectica deferri
 voluit, ubi proximo die Dominico ad-
 huc rem Divinam peregit, quarto au-
 tem post die, vigesimo octavo Januarii
 sole ad occasum vergente levi lethargo
 correptus, sacrisque Ecclesiæ Sacra-
 mentis munitus, & moriturus jam &
 hiul-

Sæc. XVII. hiulcis vocibus hæc verba: *cupio dis-*
A. C. 1621. *solvi & esse cum Christo,* pronuntians,
 inter Sacerdotum preces animam Deo
 reddidit. Corpus ejus interim in Va-
 ticano tumultatum, vertente anno die
 trigesima Januarii integrum, intactum-
 que repertum, ad Basilicam Liberianam
 translatum est. Sedit annos quin-
 decim, Menses decem, & tredecim
 dies: vixit autem annos sexaginta octo.

§. XLIII.

Hujus Pontificis indoles, & gesta.

Ciacon. l. c. **Palatius in** **vita Pauli V.** **Abregé** **chronol. t. 10.**
 Enimvero hic Pontifex, antea Ca-
 millus Burghesius dictus, præcla-
 ris animi, corporisque dotibus largi-
 ter decoratus erat. Eminebat suo æ-
 vo ceteris omnibus Purpuratis velut
 alter Saul augusta corporis sui proce-
 ritate, simulque virtutum suarum emi-
 nentia Vir secundum cor Dei tanquam
 alter David in castris Israel præfulge-
 bat. Pontificatum suum a cultu Di-
 vino auspicatorum, perpetuam Eucha-
 ristici Dei adorationem instituit, Basi-
 licæ Vaticanæ fabricam complevit,
 vetus Constantinianum Templum exor-
 navit, Liberianam quoque Ecclesiam
 pretiosa suppellectili sacra, augustissi-
 mo B. V. Sacello, aliisque pietatis suæ
 monumentis auxit, dotavitque, ac de-
 nique,

nique, ut SS. Agnetis & Emerentiaë Sæc. XVII.
 Virginum corpora honorificentius con- A. C. 1621.
 derentur, Aram argenteam confici ius-
 sit. Præterea magna non minus
 ac urbi proficua ædificia erexit, & pri-
 mo quidem Vaticanas Pontificum æ-
 des per amplis conclavibus, hortis, &
 secretaria Apostolica auxit, Vaticanam
 quoque Bibliothecam novis ædificiis,
 & Palatium Quirinale coemptis Bene-
 dictinorum ædibus ampliavit, horrea
 pro uberiore annona dilatavit, aquæ
 penuriam magnis sumptibus iustulit,
 ac lycæum Romanum *Sapientia* vulgo
 dictum ad ampliorem, augustioremque
 formam reduxit, urbemque Romanam
 variis aliis omnino magnificis fabricis
 exornavit: Nec tamen propterea pau-
 perum necessitatibus defuit, sed præ-
 primis quoties in publicum prodibat,
 pauperibus obviis largam dispertiebat
 eleemosynam, expositis quoque pue-
 ris, puellis nobilibus, & honestis mu-
 lieribus, ne egestate earum expugna-
 retur pudicitia, singulis mensibus cer-
 tam pecuniarum summam erogabat,
 peregrinis annue centum myriades auri
 distribuebat, civiumque necessitates,
 ac vivendi difficultatem frumento, ve-
 stibus & pecunia sublevabat, unde sex-
 decim ferme Pontificatus sui annis
 quindecies centena aureorum millia in
 paupe-

Sæc. XVII. pauperes effundebat, aucto nihilomi-
 nus novies centenum aureorum milli-
 bus ærario Pontificio. Insuper Reli-
 gionis zelo animatus, ad Indos, Sinas,
 Conganos, Persas, Chaldæos, Arme-
 nos, aliasque exterâs Nâtionem Evan-
 gelicæ doctrinæ Magistros magnis sum-
 ptibus emisit, hasque gentes ad fidem
 Catholicam reducere satègit, Scotos
 quoque Anglos & Hibernos, quos in-
 ter Hugo Tirænius, & Tirconcellus
 Comites, ac Joannes Barclaius cum tota
 familia erant, ab hæreticis vexatos in
 urbem recepit, assignato eis annuo
 proventu: Ferdinandum etiam Impe-
 ratorem adversus hæreticos rebelles
 Bohemos, & Hungaros liberalitate pæ-
 terna juvit, impositis Clero totius Pon-
 tificiæ ditionis in sex annos decimis,
 in stipendia militum, quibus triginta
 millia aureorum in singulos numera-
 bat annos: Ad depellendam quoque
 Turcarum Tyrannidem præter publi-
 cas preces tria armatorum millia sti-
 pendii Pontificiis alenda Cæsari sub-
 misit, omnesque suos subditos recen-
 suit, instauratoque armamentario mi-
 litares condidit leges. Insuper Romæ
 pro erudiendis Orientalibus populis ty-
 pos Chaldaicos, ejusdemque idiomatis
 Breviarium, & rituale Romanum ex-
 cudi jussit, seminarium quoque nomine
 Sancti

Sancti Pauli in cænobio Carmelitarum Sæc. XVII.
 Excalceatorum ad hæreticorum con- A. C. 1621.
 versionem instituit, quod progressu tem-
 poris ad ejusdem Ordinis Ecclesiam
 sancto Pancratio sacram translatum est.
 Erat insuper hic Pontifex acerrimus
 immunitatis Ecclesiasticæ vindex, unde
 non alios in se concitabat hostes, nisi
 qui supremam Principum auctoritatem
 vindicantes, sese Cleri juribus oppone-
 bant. Ea tamen modestia erat præ-
 clarus hic Pontifex, ut quamvis ejus
 laudem saxa & lapides loquerentur,
 nunquam tamen ejus gesta deprædi-
 cari permetteret, atque Abrahamo
 Bzovio Pontificatus sui acta describere
 paranti obortis lacrimis responderet,
 se nihil ad hæc temporis scriptu dignum
 gessisse. *Ex his liquet, inquit Andreas*
Victorellus, virum optimum fuisse, &
Pontificem, quem, si uno caruisset nævo,
profusione nimirum in sibi sanguine junctos,
beatissimis comparandum fuisse omnes saten-
tur, eam tamen labem ille obtexit suorum
Theologorum doctrina. Refert quoque
Andreas Maurocenus Venetus, quod
ejus fratres, & Nepotes tam excelsa
extruxerint Palatia, ut Hispanus Ora-
tor conspecta eorum magnificentia di-
xerit: Sane Rex meus tantam molem exci-
tare non ausisset Madriti maxime ad cor-
poris oblectamenta. Fertur quoque,
 quod

*In addit. ad
 Giacom. vita
 Pauli V.*

*Mauroc.
 l. 16. Hist.
 pag. 646.*

Sæc. XVII. quod Pontifex soli Sulmonæ Principi
 A.C. 1621. nepoti suo proventus tercentum mil-
 lium aureorum annuos, ultra thesau-
 ros auri signati, dono dederit. Car-
 pitur etiam a nonnullis tanquam de
 veritatis honore parum sollicitus, eo-
 quod controversiam de gratiæ auxiliis
 auctoritate Apostolica non definiisset.

§. XLIV.

Sacra Cardinalium comitia.

*Conclav. de
 Pontific.
 Rom. p. 550.
 Ciacon. in
 vita Gre-
 gor. XV.*

Celebratis Paulo V. pro more novem
 dierum exequiis, die octava Fe-
 bruarii in Basilica D. Petri Benedictus
 Justinianus Cardinalis rem Divinam
 peregit, Augustino Mascardo perorante
de electione Pontificis: his peractis Car-
 dinales numero quinquaginta, quos
 duo alii paulopost sequebantur, Vati-
 cana ingressi sunt comitia; Prima die
 Purpurati in duas Burghesianam, &
 Aldobrandinam factiones scissi erant,
 variosque ad Pontificatum proposuere,
 potius ceterorum studia explorantes,
 quam ad alterutrius electionem pro-
 pendentem. Præprimis Scipio Burg-
 hesius, qui plurimum auctoritate va-
 lens triginta Purpuratos præter Hispa-
 nos sibi adhærentes numerabat, Pe-
 trum Camporeum ad D. Petri solium
 evehere, ardentius nitebatur, spe sibi
 facta,

facta, quod is, utpote viribus & ætate Sæc. XVII.
 validus diu Pontificiæ dignitati præesse A. C. 1621.
 posset: Accesserant quoque Estensis &
 Bentivolius, & hic quidem, ut urbis
 Bononiensis, ille vero Ferrariensis Du-
 catus possessionem recuperarent: Sol-
 licitandus quoque erat Alexander Mon-
 taltus, qui etiam nil hæsitans ad Cam-
 porei partes pertrahebatur. Nec ab-
 nuebant Cardinales Hispani, spe freti,
 quod Camporeus Venetos in ordinem
 redacturus esset. Horum igitur suffra-
 giis munitus Burghesius ad Electionem
 Camporei progredi festinat, incautius
 Pignatello Cardinali insinuans, eun-
 dem fore Pontificem: Hoc audiens
 quispiam ex Ministris, mox totam con-
 siliis seriem Ursino Cardinali retulit,
 qui Burghesio minus favens, unacum
 Cardinale Ubaldino præconceptam ele-
 ctionem præpedire intentus, Medicæum
 adiit, petens, ne Camporeo suum da-
 ret suffragium, cui tamen hic respon-
 dit, id sibi integrum non esse, eoquod
 Magnus Etruriæ Dux Camporei ele-
 ctionem urgeri desideraret. Incaustum
 quoque Burghesius & Pontius in partes
 suas pertrahere nitebantur Ubaldinum;
 hic enim haud dissimulanter Burghesio
 declarabat, „quod Camporeum tanto
 „honore minus dignum reputaret, fa-
 „maque esset, quod coronæ Gallicæ &
Hist. Eccles. Tom. LVII. K „Rei-

Sæc. XVII., Reipublicæ Venetæ infensus foret,
A.C. 1621. „proin Catholico orbi summum exin
 „periculum imminere posset, cum ex-
 „perientia doceret, sub Pontifice sce-
 „ptris infenso Ecclesiam gravibus tur-
 „bis & ruinis fuisse agitatum, de ce-
 „tero si digniorem proponere voluerit,
 „de suo certus esset suffragio.„ Tum
 vero Ubaldinus Mellinum, Lantium,
 Crescentium, Galaminum, & postre-
 mo Alexandrum Ludovisium nomina-
 bat, addens, *si Ludovisium promovere
 intenderet Burghesius, ejus electionem
 omnes Cardinales Camporeo adversantes
 promoturi essent.* Eo tempore, quo
 hæc agitabantur, nondum compertum
 erat, Romam adventasse Ludovisium,
 qui paulopost conclave ingressus erat:
 Interim Ursinus & Sfortia Cardinalem
 Bonifacium Bevilaquam in suo cubili
 visum ibant, ubi cum Franciæ Legato,
 aliisque Prælati de Camporei vitiis,
 quæ juvenis patrasse dicebatur, disse-
 rentes eundem a Pontificatus spe ar-
 cendum concludebant: horum tamen
 numerus inferior erat Camporei fauto-
 ribus: unde Burghesius spe nondum
 dejectus tentare constituit, an non per
 viam, ut vocant, adorationis, rem
 ad optatum finem perducere valeret.
 Unde Verallo arcis Sancti Angeli Gu-
 bernatori, penes quem erat conclavia
 clau-

claudere, significabat, ut Galliæ Re- Sæc. XVII.
 gis Legatum ex Conclavi juberet exire: A. C. 1621.
 rem subodorati Cardinales statim de-
 crevere, quod Legatus usque ad se-
 quentem diem persisteret, nullus vero
 Cardinalium, etiamsi vocatus, Sacel-
 lum ingrederetur: quo facto omnes
 ferme Cardinales cubitum ibant: Burg-
 hesius tamen Scipionem Cobellutium
 Cardinalem ad Bellarminum ablegabat,
 ut eum Camporeo conciliaret: Respon-
 dit tamen Bellarminus, *pro electione*
matutinum tempus esse expectandum, &
juxta sacros Canones peracta re Divina
pro electione condigna, Dei opem esse im-
plorandam: ad hæc Scipio, se non pro-
 prio, sed alieno impulsu adventasse,
 respondens, discessit, & legationis suæ
 successum Burghesio retulit: Hic ergo
 ipse Bellarminum convenit, qui ta-
 men commotior in hæc prorupit verba:
hæc non est hora ad Pontificis electionem
condigna, sed opus tenebrarum: quieti me
indulgere permittas: causas autem, quæ
me a Camporei favore remouent, Ubaldi-
nus Cardinalis manifestabit. Eandem re-
pulsam dedere Aquinus, Madrutius,
& Zapata Cardinales, Philonardus
 quoque Burghesium rogabat, ut mu-
 tato animi proposito Virum magis di-
 gnum proponeret, cui ille reposuit, id
 sibi probari, dummodo salvo honore
 suo

Sæc. XVII. suo illum, pro quo jam tantum labo-
A. C. 1621. rasset, deserere posset. Interim con-
 clave claudendi tempus advenerat, unde
 Verallus Bevilaquæ Cardinalis, ubi
 adhuc La Core Galliarum Regis Orator
 morabatur, cubile accessit, Legatum
 rogaturus, ut domum reverti haud gra-
 varetur: mox autem Bevilaqua Veral-
 lum jussit, ut prius Bentivolium, in
 cubili Burghesii morantem exire jube-
 ret, quo facto Oratore etiam cum ce-
 teris exeunte conclavis portæ occlusæ
 fuerunt.

§. XLV.

*Alexander Ludovisus sub nomine
 Gregorii XV. in Papam
 electus.*

Jæger. Hist. Immoderato hoc Burghesii in Campo-
Eccl. l. 1. e. 1. reum studio primæ diei tranquillitas
Conclav. di in hisce Patrum comitiis non nihil tur-
Greg. XV. babatur: altera autem die Ubaldinus,
 Borgia, Madrutius & Crescentius pa-
 lam declarabant, Camporeum a Pon-
 tificatu exclusum esse: dignioris igitur
 electionem primi scrutinii sorte tentan-
 dam: Facta igitur suffragiorum colle-
 ctione deprehensum, quod in Bellar-
 minum potiora Cardinalium vota con-
 spirarint, Camporeus vero nullum om-
 nino tulerit suffragium: cum vero Bel-
 larmi-

larminus ob grave senium, adversam-
 que valetudinem paucos vitæ dies su-
 perstitis habere crederetur, Mediceus
 Cardinalis, & Alexander Montaltus
 Franciscum Mariam de Monte propo-
 fuerunt; verum hunc ab Hispanis ex-
 cludi timebat Burghefius: quocirca ad
 Urfinum conversus inquiebat, *publicam*
Ecclesiæ salutem promoturus, nulli labori
peperci, ut Camporei electionem urgerem:
displicuit id non paucis, nunc ergo Ludo-
visum propono, quem heri Ubaldinus sug-
gesserat: nulla igitur mora Ubaldinus
 de hoc proposito Bevilaquam, Pium,
 Capponium, Urfinum, ceterosque sibi
 adhærentes Cardinales certiores red-
 didit, quibus omnibus hujus Viri ele-
 ctio probabatur; quo comperto Burg-
 hesius, *quoniam, inquit, vobis ita pla-*
cet, hic idem sit Pontifex: Camporeus
 quoque ab Ubaldino hac de re moni-
 tus, aiebat, *fiat, quicquid Deo placue-*
rit. His ita dispositis Ubaldinus Al-
 dobrandinum, Borgiam, & Medicæum
 convenit, eisque ceterorum consilium
 aperuit, & comitantibus eum ceteris
 suæ partis Cardinalibus, Ludovisum
 salutavit: Paulopost Montaltus & Burg-
 hesius quoque cum sibi adhærentibus
 supervenere, faustam hanc electionem
 gratulaturi: Aldobrandinus quoque &
 Aquinus, qui graviter decumbebant,

Sæc. XVII. collectis viribus e lectis suis sese pro-
 A. C. 1621. ripuere: Per omnia subito conclavia
 rumor percrebuit, Ludovisium esse Pa-
 pam: omnes igitur Cardinales unani-
 mi suffragio eundem elegerunt, & ex-
 tra comitiorum locum ad D. Pauli Sa-
 cellum deducentes religioso pedum
 osculo venerati sunt: quo facto Hispa-
 niæ & Franciæ Oratores, Sulmonen-
 sis Princeps, ac Nobilium, Præsulum-
 que quamplurimi idem filialis obsequii
 homagium neo - electo Pontifici exsol-
 verunt, maximis benevolentiæ pater-
 næ signis excepti. Demum Papa in
 Divi Petri Basilicam delatus, ac pu-
 blice a Purpuratis iterata submissione
 honoratus, in Christi Vicarium procla-
 matus est, universo populo longævam
 vitam, cunctaque fausta apprecante.
 Assumpserat sibi nomen Gregorii XV.

§. XLVI.

*Historia hujus Pontificis usque ad
 ejus electionem.*

*Ciacon. in
 vita Gre-
 gor. XV.
 Meteran.
 l. 41.*

Natus erat Alexander Ludovisius Bo-
 noniæ ex nobili genere anno Christi
 millesimo quingentesimo quinquagesi-
 mo quarto die nona, seu ut alii vo-
 lunt, decima quinta Januarii: Romæ
 autem humanioribus ac Philosophicis
 disciplinis, & Bononiæ legum peritia
 apprime

apprime imbutus, Lauream Doctora- Sæc. XVII.
 tus obtinuit, inde vero Romam rever- A. C. 1621.
 sus, ob morum candorem, ingenii fe-
 licitatem, ac virtutum eminentiam sibi
 trium summorum Pontificum benevo-
 lentiam conciliabat, ac primo quidem
 a Gregorio XIII. Capitolii Judex, a
 Clemente VIII. utriusque, ut vocant,
Signaturæ Referendarius, ac Romanæ
 Rotæ Auditor renunciabatur, quo in
 munere justitiæ studio, mentisque fin-
 ceritate omnium in se amorem solus
 rapuisse videbatur. Demum ab eo-
 dem Pontifice ad componenda inter
 Pontificios & Regios Ministros diffidia
 Beneventum ablegatus, a Paulo V.
 Bononiensis Archiepiscopus, Sedis A-
 postolicæ Nuntius, & tandem matu-
 rato laboris præmio Presbyter Cardi-
 nalis tit. S. Mariæ Transpontinæ anno
 Salutis nostræ millesimo sexcentesimo
 decimo sexto nominatus est. Postea
 bellicis in Italia flammis potissimum
 Ludovisii opera extinctis, ad Bononien-
 sem Ecclesiam suam reversus est, do-
 nec mortuo Paulo V. ad Patrum co-
 mitia evocaretur, Romam non prius
 ingressus, quam Cardinales in conclavi
 inclusi erant, ubi eadem die, qua co-
 mitia adiit, propositus in Romanum
 Pontificem, simul probatus, incredi-
 bilique omnium consensu, die nona

K 4

Februa-

Sæc. XVII. Februarii seu altera comitiorum die an-
A. C. 1621. no ætatis suæ sexagesimo septimo Ro-
manus Pontifex renuntiatus est.

§. XLVII.

*Ambrosii Spinolæ Marchionis victoria
in Palatinatu.*

Merc. Gal- Interim Ambrosius Spinola Hispani
lob. t. 13. 13. exercitus Imperator rapido victo-
Theatr. Eu- riarum cursu ad Rhenum progressus,
rop. Tom. I. totam Wetteraviam, nil remorante
Bellus laur- hyemis asperitate occupavit, dein tra-
Austr. l. 5. jecto flumine Fridburgum urbem sibi
dedi postulans, die decima nona Fe-
bruarii Rothemiam, Braunsfelsum,
aliaque plura hujus Regionis oppida
suis subjecit armis: sub idem vero tem-
pus Obertraudius, cui unacum Ho-
ratio Verreo Palatinatus defendendi
cura a Palatino demandata erat, die
vigesima Januarii Lutra egressus, fu-
sis aliquot Hispanis Hieronymum Va-
Lotich. rer. letam Equitum Magistrum cum præda
Germ. l. 8. fat opima, priusquam subsidium Cru-
cap. 6. cenaco advenire posset, captivum se-
cum abduxit: Exiguam hanc suorum
cladem ulturus Spinola cum duobus
Equitum, & quatuor peditum milli-
bus in Vormatiensem ditionem irrupit,
ac Westhofium & Osthofium post octo
horarum obsidionem occupavit, indicta
vigin-

viginti sex millium florenorum multa: Sæc. XVII.
 cum autem Correspondentes Principes A. C. 1621.
 metuerent, ne Hispani hæc oppida fir-
 marent, die secunda Martii emissis co-
 piis utrumque pagum in cineres rede-
 gerunt, miseris hisce incolis plus ho-
 stilitatis ab amico, quam ab hoste per-
 pessus: inde vero Spinola promotis ca-
 stris in Hanoviensem comitatum pro-
 gressus, Bischoffsheimium, Enckei-
 mium, & Seebacum exactionibus mul-
 ctavit, ac exiguo temporis spatio uni-
 versum Palatinatum, excepto Fran-
 ckentalio, Manheimio, & Heidelbergæ
 victricibus armis suis emensus est.

§. XLVIII.

*Heilbrunensis Principum Correspon-
dentium conventus.*

Cum igitur Joannes Palatinus, Ad-
 ministrator hujus Electoratus, res *Londorp.*
 in deterius declinare cereret, datis *t. 2. p. 240.*
 ad Correspondentes vigesima secunda *371.*
 Novembris die literis Conventum Heil- *Ludolph.*
 brunnam indixit, quo comperto Jaco- *Lib. XXI.*
 bus I. Angliæ Rex Palatini Socer Mor- *c. 2. n. 34.*
 bonium Equitem Legatum eo decrevit,
 congregatosque Principes, ut residuam
 Palatinatus partem tutarentur, horta-
 tus est, simulque hunc in finem vali-
 das militum suppetias promisit. In

K 5

hoc

Sæc. XVII. hoc etiam conventu de Palatini, eique
A. C. 1621. adhærentium proscriptione delibera-
 tum, multis eam contra Imperii con-
 stitutiones pronuntiatam fuisse asseren-
 tibus (*). Pariter ineunte Mense Fe-
 bruario Catholici fœderis Principes
 Augu-

(*) Prodiit hoc anno celebre scriptum a
 Londorpio in suis actis publicis l. 6. p. 867.
 recitatum, quo Author contra Palatini fau-
 tores, eorumque argumenta demonstrat l.
 quod ex jure naturali, divino, & gentium,
 necnon Ecclesiastico, Cæsareo, & civili lici-
 tum sit absque prævia citatione, & examine
 aut Imperii comitiis in notoriis & publicis
 delictis præcipue violatæ pacis publicæ & re-
 bellionis manifestæ criminibus sententiam fer-
 re, reosque proscribere: idque Imperiali Con-
 stitutione de anno 1495. & 1555. confirma-
 tum sit, nec obstet jurata Ferdinandi II. Ca-
 pitulatio: Postea invictissimis argumentis
 comprobatum reddidit, quod Bohemi, Pala-
 tinus, ceterique a Cæsare proscripti horum
 criminum rei fuerint: ostendit insuper, quod
 causam, ob quam Palatinus fuerit præscri-
 ptus, non tangat privatum Cæsaris bonum,
 nec hic in propria causa Judex fuerit: Ex
 adverso Palatini in vulgus sparfere varios li-
 bellos,

Augustæ Vindelicorum conventum celebrabant, in quo de gravibus Imperii negotiis, ac præcipue de pacis revocandæ mediis ultro citroque disceptatum, deliberatumque est: Ipse quoque Ferdinandus Cæsar hac super re crebris tam ad Catholicos quam ad Protestantem missis literis, Legatisque conferebat.

Sæc. XVII.
A. C. 1621.

§. XLIX.

Cæsar civitates Imperiales a continuando Correspondentium fœdere dehortatus.

Verumtamen amplissima hæc Anglici Regis promissa unitos Principes ad restaurandam Palatini causam adeo non incitabant, ut potius oblatam Cæsaribus

*Merc. Gallob. tom. 13. l. 4.
Lotich. l. c.
Bell. l. 5.*

bellos, quibus Palatinam proscriptionem fuisse nullam, demonstrare nitebantur; & quidem in idiomate Theutonico Manheimii vulgabatur libellus, cui titulus. *Kurze Darthnung oder Bericht, daß die Churpfälzische Achtserklärung vielen unheilbaren Nullitäten unterworfen seye.* Eandem quoque Spartam tentabat Rusdorffius in suis vindiciis causæ Palatinæ: plura alia scripta in hanc & illam partem edita exhibent Londorpius cit. & Khevenhillerus tom. 9. pag. 1590. & seqq.

Sæc. XVII. A. C. 1621. faris gratiam amplecti certarent; præterlapsa enim secundioris fortunæ cupidine sæpius jactata immotæ unionis firmitas in Principum unitorum diffidia, mutuamque diffidentiam degenerare videbatur: quo animadverso Cæsar totus in eo incubuit, ut præprimis civitates liberas ab unionis foedere & Palatini patrocínio averteret, demum vero ipsos quoque Principes, qui ob pactam inter se unionem *Correspondentes* vocari gestiebant, sensim placaret, & mitioribus clementiæ remediis, ad obsequii semitam reduceret: Hunc in finem Schwicardo Electori Moguntino, & Ludovico Hassiæ Landgravio plenam cum civitatibus transigendi copiam fecit: ipsemet vero Ferdinandus hanc in rem ad Imperiales civitates literas dedit, exponens, quod quidem victoriis, copiisque prævaleat, „pacem tamen bello præferens, eas postrema vice hortetur, ut unioni, cujus terminus propediem aliunde instat, ac Palatini patrocínio valedicant, spe certa, omnibus concessa præteritorum venia, eas nec ab Austriacis & Burgundicis, nec a ceteris copiis Cæsareis molestiarum quicquam perpeffuras esse, omnia vero earum jura, immunitates, cunctaque ad pacem Religionis & profanam spectantia confirmatum iri: desuper

per autem mentem suam primo quo-
 que tempore aperirent, Ad has
 igitur literas præ ceteris Senatores
 Norimbergenses rescripsere, quod de
 Cæsaris clementia sibi gratulantes, cum
 ceteras civitates cum Electore & Land-
 gravio jamjam deliberare cognoverint,
 ipsi quoque de Cæsarea voluntate ad
 socias pariter in Franconia urbes re-
 ferre, moxque responsum habita cum
 civitatum Legatis, quorum adventum
 indies expectant, deliberatione mit-
 tere decreverint.

§. L.

*Correspondentium unio per pacem in-
 ter eos & Spinolam Marchionem
 in vitam dissoluta.*

Interim Christianus Daniæ Rex, cum
 ægre ferret, Hispanos per Palati-
 natum, finitimasque ditiones nemine
 obsistente victricia sua arma circum-
 ferre, pacis arbitrum agere, seu ve-
 rius novi belli fomitem subjicere cæpit,
 præprimis igitur apud Segebergam Hol-
 fatiorum oppidum comitia indixit, ac
 Henricum Rantzovium Equitem, plu-
 resque alios Legatos suos ad Cæsarem
 decrevit: demum tam sue, quam Bruns-
 vicensis ac Luneburgensis Ducum no-
 mine ad Marchionem Spinolam literas
 die

Sæc. XVII.
 A. C. 1621.

Merc. t. 13.
 lib. 4.
 Carafa
 Germ. rest.
 pag. 97.
 Londorp.
 Tom. II.
 pag. 381.

Sæc. XVII. die quinta Martii dedit, questus, quod
 A. C. 1621. hic in Palatinatum, magnamque Ger-
 manix Superioris partem, imo & in-
 noxios quosdam Imperii Ordines vim
 intentasset, ac fœderatis Principibus
 parem sortem comminatus esset, ni fœ-
 deri nuntium mitterent, & a necessa-
 ria defensione cohibiti, omnia sua Hi-
 spani militis cupiditati relinquerent:
 id vero Imperii legibus, pactis adver-
 sum esse dictitans, Spinolam hortatus
 est, ut deinceps ab hostili ejusmodi
 invasione abstineret. Ad has Regis
 literas Marchio Spinola paucis respon-
 dit, arma sua nequaquam in Ordines
 Cæsari obsequentes, aut a rebellione
 ad obedientiam reversiones, sed in Pala-
 tinum adhuc rebellem esse conversa,
 urbesque & arces non alias, nisi se-
 ditiosorum Dominio obnoxias fuisse oc-
 cupatas, eumque nullatenus fœdera
 ab Imperio concessa, sed duntaxat
 contra Cæsarem inita dissolvi petiisse.
 Jam antea Elector Moguntinus, & Has-
 siæ Landgravius die decima nona Fe-
 bruarii datis ad unitos Imperii Princi-
 pes literis, eos ad deserendam unio-
 nem gravibus rationum momentis hor-
 tabantur; nec irritum profus conamine;
 quippe Mauritius Hassiæ Landgravius
 die quinta Aprilis habito Bingæ col-
 loquio cum Spinola transegit, pactis
 utrin-

utrinque conditionibus, quod Mauri-
 tius neque Palatini, neque foederato-
 rum partes sequi, sed quietus in suis
 ditionibus fidem Imperatori servare
 suasque copias in foederatorum opem
 conscriptas dimittere velit, vicissim ve-
 ro ab omni hostili exercitus Hispani
 vexatione, falvis etiam juribus, privi-
 legiis, & pacis Religiosæ ac profanæ
 pactis, immunis servetur. Paulopost
 eodem Moguntino Electore, necnon
 Ludovico Darmstadiensi Landgravio
 urgentibus, Moguntiaë conventus ha-
 bebatur, in quo Principes Correspon-
 dentes, ceterique omnes foederis Af-
 feclæ per suos Legatos Solmensem Co-
 mitem, Benjaminum Bunighausen,
 Zobelium, & Fabrum, præsentem Fri-
 derico Wirtembergico Duce, & Joachi-
 mo Ernesto Onoltzbacensi Marchione
 die duodecima ejusdem Mensis cum
 Spinola Marchione convenere, ut fo-
 dus suum alias Aschusii initum, &
 Hallæ confirmatum solverent, novum-
 que in Palatini favorem, vel adversus
 Imperatorem non inirent, copiasque
 suas a quarta Maij die dimitterent: e
 contrario autem Spinola in terris illo-
 rum, ceterorumque Principum & Or-
 dinum sive Catholici, sive Protestan-
 tes sint in Ulmensi transactione com-
 prehensi, excepto Palatino, a quovis
 hostili

Sæc. XVII.
 A. C. 1621.

Bellus Laur.
Aust. l. 5.

Sæc. XVII hostili insultu abstineret, simulque ad
A. C. 1621. Angliæ Regis preces promitteret, quod
 proscriptionis executionem contra eun-
 dem Palatinum usque ad decimam
 quartam Maij diem prorogare vellet:
 quæ prorogatio iterum ad Mensẽ Ju-
 lium dilata est: Hac igitur ratione per
 unius cladis terrorem hæc Protestan-
 tium unio tantopere decantata in fo-
 rum abiit, atque universus ferme Pa-
 latinatus Spinolæ relictus est, solis Ho-
 ratio Verreo & Oberntraudio tres Urbes
 adhuc detinentibus: Demum Spino-
 la Alberti Archiducis jussu die vigesi-
 ma tertia Aprilis Bruxellas venit,
 supremi exercitus cura Gonfalso Cor-
 dubæ demandata. His ita conclusis
 Principes, & præcipue Wirtembergi-
 cus Dux Fridericum Comitem Solmen-
 sem aliosque Viennam ablegarunt, sup-
 plices, ut Imperator hucusque trans-
 acta, Cæsarea auctoritate rata habere
 dignaretur, simulque Palatinæ proscri-
 ptionis executionem prorogare, ex Pa-
 latinatu Hispanum militem abducere,
 & innoxie vexatos Weteraviæ Ordines
 in integram restituere vellet: Ad hæc
 autem postulata die decima sexta Maij
 Cæsar respondit, se ad reconciliationem
 esse paratissimum, si Palatinus agnita
 culpa veniam petierit, illatisque dam-
 nis satisfecerit, se vero innoxiiis
 dam-

damna, si quæ illata, pro viribus reparaturum.

Sæc. XVII.
A. C. 1621.

§. LI.

*Daniæ Regis Legatio ad Cæsarem in
Palatini Electoris causa.*

Mense Februario finem habuit Sege-
bertanus Protestantium Conven-
tus a Daniæ Rege celebratus, cui Sue-
viæ, & Angliæ Reges, Palatinus,
Brandenburgicus, unionis Ordines,
Brunsvicensis, Luneburgensis, Holfatia-
nus, Megapolitanus, & Pomeranus
Duces, necnon Batavi, pluresque alii
inferioris Saxonix Proceres vel per se,
vel per suos Oratores intererant: Quid

*Bellus l. 5.
Lotich. rer.
Germ. l. 9.
cap. 1.
Brachel.
Hist. l. 1.
Meteran.
Hist. Belg.
lib. 41.
Le Blanc.
Hist. de Bav.
tom. 4.*

in hoc conventu decretum, ignoraba-
tur ab initio, varius tamen, ut fieri
amat, rumor spargebatur; quidam e-
nim Palatini restitutionem, ac proscri-
ptionis abolitionem urgeri, alii vero
adversus Cæsarem, quasi hic Hispano
exercitu Saxonix inferioris ditiones,
& Archiepiscopatus ceteraque bona
Ecclesiastica sui juris facere moliretur,
arma bellumque fuisse decretum divi-
nabant. Hac tamen calumnia offen-
sus Cæsar datis Vienna literis die
decima quarta Aprilis Fridericum Udal-
ricum Brunsvicensem Ducem ab armo-
rum apparatu dehortabatur, contesta-

Hist. Eccles. Tom. LVII. L tus,

Sæc. XVII. tus, sibi hanc calumniam dolose fa-
 A. C. 1621. bricatam immerito affingi, cum jam-
 jam Spinolæ in mandatis dedisset, ut
 militem ex Veteravia, Principumque
 finitimis locis educeret. Interim Vien-
 nam venere Daniæ Regis Legati, qui
 ad Cæsaris alloquium admissi quere-
 bantur, quod Cæsar Palatinum proscrip-
 sisset, & dimisso nondum exercitu suo
 per Spinolam magnam Palatinatus
 partem expugnasset, atque innoxios
 Imperii Principes infestasset; ne ergo
 Rex Palatini causam armis tueri cogere-
 retur, Imperator dimissis copiis ejus-
 dem proscriptionem abrogaret, litem-
 que & offensam ab eo illatam, arbitris
 committeret: ad hæc vero Cæsar pau-
 cis respondit, quod copias exaucto-
 rare haud posset, eoquod Palatinus
 in sua rebellione contumax implora-
 tis Bethlemii, Turcarumque suppe-
 tiis nova arma cuderet, proscriptio
 autem publico Imperii nomine facta
 non minus justa sit, quam si eam Da-
 niæ Rex in Regno suo contra perduel-
 les ferret: extra Palatinatum autem
 Principum nullus, nisi rebellionis
 particeps, nec a Cæsareis, nec ab
 Hispanis vexatus fuisset, uniti quo-
 que Principes Palatini iniquitatem
 agnoscentes, dimissis copiis foedus
 suum nuper dissolvissent, proin infe-
 rioris

„rioris Saxoniae Principes, si proscri- Sæc. XVII.
 „ptum tueri vellent, reflorescenti paci A. C. 1621.
 „bellum præferrent: de cetero cur Rex
 „Imperatori legem præscriberet, cum
 „ne Cæsar quidem Regi sua sub juris-
 „dictione molestus esse præsumat? „ Ve-
 rum ad hæc regefferunt Regis Danici
 Oratores, quod eorum Rex disqui-
 „rere nolit, an Principes uniti sponte
 „vel coacte Moguntiae transegerint, vel
 „an Friderici proscription nulla vel le-
 „gitima fuerit, sed duntaxat pro fa-
 „nando vulnere remedium non tam
 „asperum, sed lene proponere volue-
 „rit, præcipue cum in Mulhusano Con-
 „ventu de proscriptione nil actum fue-
 „rit, certum autem, licet fors id Cæ-
 „sari incognitum sit, quod Hispani in-
 „noxios Principes, & præ ceteris Mau-
 „ritium Hassiæ Landgravium & Hano-
 „viensem Comitissam durissimis exactio-
 „nibus prefferint. Rex vero, quomi-
 „nus Palatino ad incitas redacto opem
 „ferat, prohiberi nequeat, quin alie-
 „nis se negotiis immiscuisse redargui
 „posset: Cæsar igitur a tam violento
 „remedio abstineat, & potius clemen-
 „tia usus, post dissolutam unionem
 „æque suum fœdus dimissis copiis dis-
 „solvat, Palatinum in gratiam recipiat,
 „Palatinatum ei, refulis sumptibus,
 „restituatur & ea sub lege vicissim Palati-

Sæc. XVII. „nus Regno Bohemiæ, sibi que fœde-
A. C. 1621. „ratis nuntium missurus, & nec ultra
 „quicquam a Mansfeldii copiis, nec a
 „bellico Inferioris Saxonie apparatu
 „duntaxat ad sui patriæque suæ defen-
 „sionem instructo timendum esset: quod
 „autem Cæsar hoc negotium ad Impe-
 „rii & Electorum comitia rejicere co-
 „gitet, id Regi eo magis suspectum vi-
 „deatur, quo magis compertum habet,
 „ibidem Catholicos Proceres suffragiis
 „prævalere: „Quoniam vero hi Ora-
 „tores Regis sui nomine circa proscri-
 „ptionis abrogationem absolutum om-
 „nino responsum peterent, Cæsar eis-
 „dem hæc significari jussit: salva Cæsa-
 „rea auctoritate ob gravissima scelera
 „proscripto, qui etiamnum hostilia arma
 „præparat, & extrema quævis Imperio
 „minatur, veniam offerre, Imperator
 „nequit: num ergo hostem suum etiam
 „non petentem in gratiam admitteret?
 „an exauctoratis suis militibus se ho-
 „stium prædæ, Turcisque ac Tartaris,
 „necnon Bethlenio Hungariam & Au-
 „striam etiamnum infestantibus relin-
 „queret: Num proscriptis expensas re-
 „funderet, ipse vero sumptibus in tot
 „exercitus erogatis exhaustus, hostilia
 „undique fœdera adversus se pangi, &
 „militum delectus haberi permetteret?
 „An igitur Cæsar prius omnia in pro-
 „scripto-

scriptorum & hostium favorem præstaret, & tum primum exspectaret, quo pacto Palatinus se submittere ac deprecari velit? hæ sunt conditiones nimis asperæ nequidem inferiori Principi obtrudendæ: de cetero gratum Cæsari accidit, si Regis Principumque arma duntaxat ad Regiæ ditionis, non autem proscriptorum defensionem comparata sint: de comitiis autem, quæ Cæsar Ratisbonæ habenda statuisset, Rex spectata Electorum, Principumque integritate, nihil, quod timeat, habeat.

Hoc Cæsaris responso offensus Rex, cum aperte Cæsarem petere haud posset, ex obliquo nocere statuit, ac præprimis Ernestum Schaumburgi Comitem armis invasit, ejusque ditiones, qua late patent, destruxit, quæsito obtentu, quod Principis titulus, quo eum Cæsar honorabat, Ducum Holsatiæ, Regisque juribus deroget; quocirca Cæsarem ad abrogandam hanc dignitatem compellens, eum Holsatiæ Principem vocari inhibuit, Comes vero militum violentias ingenti pecuniarum vi redimere coactus est, quo comperto Imperator datis literis Regi demonstrabat, quod hæc dignitas, ad quam benemeritos evehere, Cæsarei juris est, nullatenus in Holsatiæ Ducum, aut

Sæc. XVII.
A. C. 1621.

Sæc. XVII. Regis præjudicium vergeret. Tandem
A. C. 1621. Rege vehementius obfistente, ac Er-
 nesto Schaumburgo anno sequenti e
 vivis sine prole sublato tota lis sopita est.

§. LII.

*Philippi III. Hispaniarum Regis
obitus.*

Ferrar. con- Fluxerat postrema Mensis Martii dies,
tin. tom. II. quæ etiam ultima erat vitæ Phi-
p. 345. lippi III. Hispaniarum Regis. Hic in
Brachel. die Cinerum vigesima quarta Februarii
Hist. l. I. in Madritensi urbe concioni a Patre Hie-
Merc. Gal- ronymo Florentia habitæ interfuit, inde
lob. t. 9. l. 2. vero redux usque ad vigesimam septi-
Meteran. mam Martii gravi febris jactabatur, mor-
Hist. Belg. tisque periculum, quod Medici longe
l. 4. p. 330. abesse testabantur, propius imminere
Bellus laur. sentiens, ad ultimam luctam sese ac-
Austr. p. 524. cingere statuit: Præprimis igitur te-
 stamentum suum conscripsit, cujus exe-
 cutionem Lermæo Cardinali, a quo ob
 illatas injurias veniam petiit, necnon
 Uzedæ Duci, P. Aliagæ, quem a con-
 fessionibus habuit, & Castellæ ac Ar-
 ragoniæ Præsidibus demandabat: se-
 quenti die Philippum Filium suum ac-
 cersens hortatus est, ut consilium sibi
 non ita pridem a Gregorio XV. datum
 de Valtelina reddenda exequeretur,
 & Ministris suis utpote experientia &
 dexte-

dexteritate probatis uteretur, demum Sæc. XVII.
A. C. 1621.
 datis eidem pluribus aliis monitis pat-
 ternis Filio suo Christi crucifixi imagi-
 nem, qua Carolus V. & Philippus II.
 in agone utebantur, destinavit, cete-
 risque omnibus prolibus suis supre-
 mum vale dicens, Regiæ suæ portas
 aperiri, ac liberum cuivis aditum con-
 cedi jussit, moxque obortis lacrimis
 adstantes allocutus, *miserum*, inquit,
intuemini Regem vestrum, qui piorum ope-
rum fructu vacuum duxit vitam: misere-
mini mei, & misericordiam, malæque vo-
luntatis veniam a Deo pro salute mea ex-
poscite. His dictis coram conscientia
 suæ arbitrio negotium orditur ponde-
 rossimum, totius præteritæ ætatis ac-
 cusationem: qua facta interdum, reso-
 nante manus ictu, pectus & præcordia
 tanquam per criminum vindictam af-
 flictabat, totusque erat in pœnitudine
 delictorum, & melioris vitæ proposito:
 ubi vero dies trigesima prima Martii
 illuxerat sacro moriturientium Viatico
 munitus, sancto oleo ad luctam robo-
 ratus est, postea ne momento quidem
 suum Confessarium, & Villiesgeum To-
 letani Archiepiscopi Vicarium a suo
 lecto abesse voluit, ut ipsum in preces
 & lacrimas effusum adjuvarent: hora
 demum nona matutina repente Regem
 relinquere vitalis calor cæpit, ac pal-
 lore

Sæc. XVII. A. C. 1621. lore, sudoreque gelido totam sublu-
corpus, oculorum acies hebetari, &
contentiosius, laboriosiusque meatus
animæ trahere, ac tandem post inter-
necinum totius halitus silentium ex-
pirare. In hunc igitur modum diem
supremum explevit Philippus Rex, ani-
mi dotibus longe præstantissimus, con-
tinentia Virgo, pietate in subditos Pa-
ter, liberalitate erga pauperes & mi-
seros Mater, ac denique Princeps suo
ævo nulli secundus, si solus regnasset,
nec clientum suorum favore fascinatus
Regem exuisset. Explevit vitæ annos
quadraginta tres, Regis sui viginti tres:
Primis nuptiis ex Margaritha Caroli
Archiducis Austriæ Filia suscepit
Philippum IV. Regni sui Successorem,
Carolus, qui vigesimo quinto ætatis
sue anno decessit, Ferdinandum Caro-
lum Belgii Governatorem anno mille-
simo sexcentesimo quadagesimo pri-
mo mortuum, & denique Alphonsum
nonnisi unius anni Infantem. Duas
quoque habuit Filias Annam Mariam
Ludovico XII. nuptam, & Mariam
Annam Ferdinando III. Imperatori de-
sponsatam.

§. LIII.

*Alberti Archiducis Legatio ad Ba-
tavos.*

Inte-

Interim unitarum Provinciarum Or- Sæc. XVII.
 dines secta Calvinistæ, cum indu- A. C. 1621.
 cias ad annos duodecim cum Hispanis
 die nona Aprilis anno millesimo sex- *Meteranus*
 centesimo nono initas propediem ex- *Hist Belg.*
 spirare nossent, arma contra Hispaniæ *l. 41. p. 322.*
 Regem parare cæperant; ne vero quis *Newvill. hist.*
 dubitet, Religionis Catholicæ odium *d' Holland.*
 ad propagandam motæ seditionis feli- *tom. 1. c. 6.*
 citatem calcar addidisse, hoc adhuc *Theatr. Hist.*
 anno die vigesima sexta Februarii san- *Priorat.*
 guarium prorsus edictum promulga- *Hist. Ferd. II.*
 runt, quo omnibus Sacerdotibus, Ca- *p. 54.*
 tholicis, Monachis, & præcipue Jesui-
 tis tam indigenis quam alienigenis in-
 junctum, ut intra sex dierum spatium
 e Belgio emigrarent, secus si fecerint,
 vel redierint, tanquam patriæ hostes
 & proscripti a quovis capiantur, &
 prima vice centum saltem florenorum
 multam pendant, altera vice præter
 eandem pœnam publice virgis cæsi toto
 Belgio eijciantur, & rursus deprehensi
 capitali pœna statim plectantur. Ex
 hisce fanatici furoris præludiis Alber-
 tus Archidux, & Belgii Gubernator
 impendentes belli calamitates, & ma-
 la finitis induciis exorbitura sibi facile
 præfagiebat, ea igitur, ut ab his Re-
 gionibus averteret, Petrum Peccium
 Cancellarium suum die decima sexta
 Martii Hagam Comitum unacum vi-
 ginti

Sæc. XVII. ginti quatuor Nobilibus ablegabat, ut
A. C. 1621. inducias prorogari peteret, simulque
 demonstraret, quod septendecim Pro-
 vinciiis ad unum corpus & caput de-
 nuo reductis firma pax stabiliri posset,
 eoquod his ita antea unitis integra
 quies & concordia floruiſſet, excitatis
 autem in Belgio turbis mox hæ Pro-
 vincię innumeris malis fuiſſent afflicte,
 futuris vero calamitatibus tuto pro-
 ſpici poſſet, ſi ad legitimorum Principum
 obſequium redirent: id ergo ſi
 gratum haberent, habito Colloquio
 Archiduces ad honeſtas conditiones de-
 ſcenſuri eſſent. Attamen vix Peccius
 Roterodamum venerat, cum a Calvi-
 niana plebe injuriis ac maledictis in-
 digne laceſſeretur, & quo longius pro-
 ceſſerat, eo atrocius, præcipue Delfis,
 ludibrio habitus, violatoque gentium
 jure cæno, lapidibus, omnique con-
 tumeliarum genere petitus, parum ab-
 fuit, quin in profluentem præcipitare-
 tur: Hujus petulantię fama brevi uni-
 verſam pene Europam pervãſerat; quo-
 circa Fœderati Ordines, ne tantę in-
 dignitatis participes crederentur, na-
 ves affabre elaboratas Delphin uſque
 ſubmiſerunt, ac ipſemet Mauritius
 Arauſionenſis Princeps unacum Fride-
 rico Henrico fratre ſuo, necnon Luſi-
 tanię Principe aliisque Proceribus Riſ-
 vicum

GREG
 vicum
 gatum
 duxer
 juſde
 ſus,
 nibus
 omnib
 nis ſu
 tori ſa
 eorum
 pro li
 cum
 ſibi n
 comp
 beant
 miner
 quid
 quio
 respon
 admit
 negat
 ante
 Princ
 Quap
 Roter
 Brux
 tem
 ob fir
 ciis ſu
 torm
 nihilo
 opera

vicum usque obviam processerunt, Le- Sæc. XVII.
 gatumque Hagam Comitis secure de- A. C. 1621.
 duxere: ibidem die vigesima tertia e-
 jusdem Mensis ad colloquium admis-
 sus, negotium sibi demandatum Ordini-
 bus præposuit; hi vero pro innata
 omnibus seditiosis ex prospero rebellio-
 nis suæ successu tumidis superbia Ora-
 tori sat arroganter responderunt, quod
 eorum Respublica a variis Principibus
 pro libera fuerit agnita, ac propterea
 cum Hispaniæ Rege, nisi pariter hic
 sibi nullum in hanc Rempublicam jus
 competere profiteretur, pacisci prohi-
 beantur, proin palam declarent, ne-
 minem imposterum, qui suæ libertati
 quid contrarium proposuerit, se allo-
 quio dignaturos. Accepto hoc rudi
 responso Peccius denuo ad colloquium
 admitti postulabat, quod tamen ei de-
 negatum ab iis, qui primum paucos
 ante annos nonnisi rebellionis ope sibi
 Principatus dignitatem vindicarant.
 Quapropter Peccius die tertia Aprilis
 Roterodamo Antverpiam, ac demum
 Bruxellas reversus est. Calviniani au-
 tem Belgii Ordines in signum lætitiæ
 ob finitas inducias passim in Provin-
 ciis suis, propugnaculis & oppidis belli
 tormenta magno fragore disploserunt;
 nihilominus Franciæ & Angliæ Regum
 opera hæc induciæ primo ad sex hebdo-
 madas,

Sæc. XVII. madas, dein vero usque ad tertiam
A. C. 1621. Augusti diem prorogatæ fuerunt: in-
 terim vero tam Hispani, quam Fœde-
 rati Ordines delectu militum undique
 instructo bellum adornarunt, ac primi
 quidem Batavi hostilia agere cæperunt,
 quadringentis Equitibus Anversam in-
 tercipere iussis.

§. LIV.

*Bellum a Cæsare Gabrieli Bethlenio
 indictum.**Meteran.**l. 41. p. 334.**Ortel. rediv.**pag. 76.**Carafa**Germ. rest.**pag. 96.**Han. Pa-**non. vet. &**nova p. 330.*

Dissoluta Protestantium Principum
 unione superiori Germaniæ pax
 reddita est, in Hungariæ Regno graf-
 fantibus adhuc belli flammis, quibus
 extinguendis Ferdinandi Imperatoris
 & Franciæ Regis Oratores in Hambur-
 gensi conventu egregiam navabant o-
 peram; Jamjam ex Hungariæ Proce-
 ribus non pauci, relictis rebellium par-
 tibus, ad Cæsaris obedientiam reversi
 sunt, ac ipsemet Bethlenius Gabor pa-
 cis studium præseferabat, Ferdinandi
 clementia expugnatus. Hic enim in
 omnes ferme concordiæ leges a Beth-
 lenio propositas descendit, annuitque,
 ut retento Principis titulo, ac perso-
 lutis sibi centies mille florenis, annue
 mille argenti marcas reciperet: mox au-
 tem varius compositusque ad fallendum
 patuit

patuit Bethlenii animus, dum insuper Sæc. XVII.
A. C. 1621. plenam præteritorum veniam omnibus fœderatis concedi, sibi vero Regis dignitatem salvam servari petiit: Studiose autem prævisa hujus postulati difficultate omnem transactionis spem elusit, palamque Tartariæ Principi, a quo decem militum veteranorum milia petebat, literis suis declaravit, quod pacis media offerendo *amicitiam simularit, ut acquisitis interim Turcarum Imperatoris viribus, hostem superare, ejusque ditissimas Provincias eo facilius occupare posset.* Dissoluto igitur pacis consilio Hungari e Moravia ejecti, impetum in Bucquoii exercitum ad Scalitium fecere, multisque cæsis, oppidis & pagis aliquot direptis, incensisque, prædam valde opimam abduxerunt: quo cognito Cæsarei eos strenue infecuti, postremum agmen fuderunt, magnamque prædæ partem reportarunt: Inde vero Bethlenius, postquam Georgium Setschium, Thomam Bosniakum, & Palsium, aliosque Hungariæ Proceres Cæsari reconciliatos inaudierat, tanta rabie in eos exarserat, ut extrema se tentaturum, ipsumque Turcam in eorum perniciem concitaturum minitaretur: ne tamen rebus suis domi deesset, primo quidem Hungarici Regni coronam Posonio Alesolium transtulit, dein

Sæc. XVII. dein urbem, arcemque Waiccentem
 A. C. 1621. Turcis tradidit, ut forte Cæsaris po-
 tentia pressus, promptum ab eis auxi-
 lium recipere posset. Ferdinandus igitur
 rei indignatione commotus, & Hispani
 subsidii spe animatus, Bethlenio, ceterisque
 Hungariæ rebellibus bellum indixit, quod ut
 auspiciatius gereretur, oppignoratis etiam
 cimeliis, sumptaque ad fœnus pecunia, annonam
 pro alendis quadraginta hominum millibus
 Jaurinum, & Comorram advehi iussit. Set-
 schius quoque, qui nuper a rebellibus defecerat,
 pacem simulans, Bethlenio & Turriano
 insidias struxit, qui ambo tamen tempestive
 admoniti periculum evasere.

§. LV.

Bucquonii victoriæ, ejusque obitus.

Meteran. & Han. l. c. ENIMVERO opportune in hac rerum
 vicissitudine Ferdinando Cæsari accidit
 reconciliatio ejusdem Georgii Setschii inter
 Hungariæ Proceres facile potentissimi. Hic
 enim collecto milite Alesolium occupavit,
 & Hungariæ corona potitus, Fillacum
 contendit, promotisque castris Vesprinum
 cæsis præsidiariis cepit, ac ipsum Gaboris
 Belliducem Redeium Ferentium captivum
 abduxit, dein cum duobus mil-

millibus Germanorum ad ipsius auxili- Sæc. XVII.
 lium submissus Bethlenium, qui cum A. C. 1621.
 quindecim suorum millibus Posonium
 versus moverat, insecutus est: mox
 etiam Bucquoius cum viginti quatuor
 Cæsareorum millibus ex Bohemia in
 Hungariam penetrans, in itinere oc-
 cupata Thebana arce accessum sibi ad
 Posoniensem urbem parabat, quam e-
 tiam die secunda Maij nullo ferme ne-
 gotio occupavit, expeditionis cursum
 remorantibus arcis præfidiariis, qui
 tamen exorta inter se dissensione,
 & assidua tormentorum hostilium ex-
 plosione territi die septima ejusdem
 Mensis pariter deditioem fecere, in-
 de Bucquoius cum toto exercitu Neo-
 folium movit, ad cujus exercitus fa-
 mam Altenburgenses, & Tirnavienses
 fuga dilapsi, has urbes victori cesse-
 runt, Sopronienses vero & Schittani
 qua deditioem, qua vi fuere subjugati:
 unde liberrimus accessus Comorrianis
 & Jaurinensibus ad Cæsarianos, & his
 ad illos patebat: Nihilominus majoris
 molis erat Neosolii expugnatio, eo-
 quod Turso Comes adhuc Bethlenio
 addictus in urbem ex Hungarica &
 Transylvana Nobilitate quamplurimos
 eo immisisset: Bucquoius tamen, nil
 fortitudini impervium fore ratus, op-
 pidum, cujus præfidiarios dissensione
 scissos

Sæc. XVII. scissos noverat, obsidere e minus cæpit,
A. C. 1621. valloque quam proxime ad munitionem
 perducto omnem obsessis exitum inter-
 clusit, unam tamen Carniæ portam
 tam arcte cingere haud poterat, quin
 non quatuor Hungarorum millia in la-
 borantis urbis opem innoxie immitte-
 rentur: unde obsessi horum suppetiis
 aucti, subinde in Cæsareos pabulato-
 res erupere, ac cæsis eorum nongenti-
 tis, interceptisque die vigesima septi-
 ma Junii sex navigiis annona onustis
 haud exiguam prædam reportarunt:
 Bethlenius quoque cum triginta suo-
 rum millibus Fillacum movens, Tho-
 mam Bosniakum, Stephanum Palsium
 & Horatium Ferrentium, aliosque Pro-
 ceres, qui ad Cæsaris partes transie-
 rant, in itinere deprehendit, initoque
 cum iis certamine, ad tria ipsis adhæ-
 rentium millia, ipsumque Palsium tru-
 cidavit: Bucquoius vero interim ad
 omnes casus intentus sedulo muni-
 menta lustrabat, longius tamen pro-
 gressus in Hungaros in insidiis latentes
 incidit, quos quidem a suis adjutus
 strenue repulit: die autem decima Julii
 rursus, si quis forte ad obsessos acces-
 sus pateret, exploraturus in Hungaros
 clam erumpentes offendit, quos, fu-
 gere nescius, strenue adorsus, tamdiu
 sclopetis, suoque gladio sustinuit, do-
 nec

nec a suis derelictus, ac sedecim acceptis vulneribus, & equo, cui infederat, trucidato lancea confossus gloriose occumberet: Ex his, qui eum tum comitabantur, partim cæsi partim capti fuere omnes: Cadaver autem Bucquonii, Belliducis victoriarum gloria, & invicta in Ecclesiam Catholicam, & Austriacos constantia celeberrimi die vigesima Julii non sine magno Cæsaris mærore Viennam translatum, ibidem militari pompa tumultatum est. Jam antea primum Brunæ, dein Viennæ secundis curis prodiit libellus, in quo Author ementito Constantii Peregrini nomine gloriosos Bucquonii triumphos enarrabat: alius tamen Scriptor hanc relationem Boico nomini, & Catholici foederis copiis injuriosam fuisse ratus, eoquod omnia ferme in Bohemiæ Regno gesta tam Bucquio quam suæ genti hic Constantius vindicasset, alium hoc anno vulgavit libellum (*), quo illius relationem castigabat: Ita virtus raro sine æmuli invidia senescit.

§ LVI.

(*) Præfatus liber hunc præfert titulum: *Constantius Peregrinus castigatus, seu Relectio itineris quadrimestris Bucquonii auctore Berchtoldo Rauchenstein. Bruggæ anno 1621.*

Hist. Eccles. Tom. LVII.

M

Sæc. XVII.
A. C. 1621.

§ LVI.

Neosolium obsidione liberatum.

Merc. Gal-
lob. t. 9. l. 2.
Meteran.
Hist. Helg.
l. 41. p. 335.
Brachel.
Hist. l. 1.

Trucidato incomparabili hoc Belliduce
mox in Cæsareis castris, quod in
æqualis Ductoris desperatione proxi-
mum esse solet, ordinis omnis, &
compositæ militaris disciplinæ nexus
erat intercisus, cumque annona indies
magis, magisque deficeret, ac Præ-
fecti, militesque suo Capite, Rectore,
gerendorumque Dictatore orbati, ne
ab hostibus cincti ad incitas redigeren-
tur, jure metuerent, Turriano Comite
cum sex armatorum millibus imminen-
te, die decima septima Julii noctu ob-
sisionem solverunt, relictis quindecim
belli tormentis. Verum Hungari, cum
castra Cæsareo milite vacua cernerent,
ingenti furore eos insequuntur, captis-
que quamplurimis ceteros tanta clade
profligant, ut Vallonibus, Gallisque,
qui novum Rudolphi Tieffenbachii in
Bucquoii locum subrogati imperium
detrectabant, fuga dilapsis, exercitum
omnem Gutta oppido Pofonium trans-
ferre, necesse esset, parte aliqua Jau-
rinum, altera Commorram transmissa.
Hoc successu elatus Gabor Hungaros
suos prædatum in Austriam & Mora-
viam emisit, ex quibus quater mille ad

Marc-

Marcfeldium trans Viennam die duodecima Augusti appulsi incendiis & direptionibus tanto furore grassabantur, ut una nocte viginti pagos conflagrarent, atque ab altera parte cum sex suæ gentis ac Turcarum millibus Ductore Budiano Collatum Cæsaris Belliciducem insequentes, ad trecentos in posteriori agmine funderent, incensisque quatuordecim pagis, & plusquam centum & viginti vicis fœde devastatis direptisque, omnia loca ad unum usque Vienna lapidem rapinis & incendiis emensi essent: Interim ipse Bethlenius cum ingenti exercitu Tirnaviam arctissima obsidione cinxit, ac non sine magna suorum clade tertio repulsus, tandem die prima Augusti urbem undique mænibus nudatam deditione cepit, inde promotis Pofonium castris, comitantibus eum Turriano, Landavio, aliisque profugis Austriæ Proceribus hanc urbem cum viginti quinque belli tormentis quater cepit: irritum tamen conatu; quamvis enim Jægerndorffius, qui ex Silesia duos Ecclesiasticos & quatuor Nobiles captos secum abstraxerat, suas quoque copias die decima nona ejusdem Mensis rebellibus adjunxisset, nihilominus obsidentium numero & furore minime frangebatur obsessorum fortitudinem; quippe

Sæc. XVII.
A. C. 1621.

pe Schwendius facta ex urbe cum mil-
le armatis eruptione ducentos Hunga-
ros trucidavit, & tria tormenta adactis
clavis obstruxit: Die autem vigesima
quinta Augusti rursus pabulatum ma-
gno numero egrediebantur Cæsarei,
qui tamen ab Hungaris oppressi, pau-
cis fuga dilapsis, interneccione deleti
sunt. Horum necem vindicaturi Cæ-
sarei denovo erumpentes, Hungaros in
devastatis suburbii ædibus delitescentes
profligarunt, & octo hostilia belli tor-
menta ad usum inepta reddidere: tan-
dem vero obsessi validis suppetiis ex
Moravia submissis aucti, Bethlenium
eo adegerunt, ut die trigesima prima
Augusti soluta Posonii obsidione Tir-
naviam secedere cogeretur. Præterea
ad infaustæ hujus expeditionis cumu-
lum accessit iterata Budiani clades; quip-
pe ex ejus copiis in pago quodam pro-
pe Sopronium trecenti a Cæsareis op-
pressi, maxima parte trucidati fuere:
Gunzii quoque ab Esterhasii Equitibus
quadringenti circiter cæsi & ab Er-
deödianis trecenti in Danubium pro-
trusi occubuere, cum igitur Transyl-
vani quoque, quos Bethlenius auxilio
submiserat, domum reversi essent, Bu-
dianus ad pacis consilia inclinans, in-
ducias sibi concedi postulabat. Ipse
etiam Gabor postquam cum copiis suis
Jægera-

Jægerndorffio Marchioni junctis Mora- Sæc. XVII.
viam omni alimentorum genere ex- A. C. 1621.
hauserat, summa annonæ penuria
ipsemet pressus in Hungariam exerci-
tum suum reducere cogebatur, a Jæ-
gerndorffio, qui itidem in Silesiam re-
diit, derelictus.

§. LVII.

*Superior Palatinatus a Maximiliano
Bavaricæ Duce subactus.*

Interim Mansfeldius in Bohemia, & Mære. t. 9.
Jægerndorffius in Silesia Friderici lib. 2.
Palatini nomine extrema quæque ten- Annal. Boic.
tabant: Maximilianus vero Bavaricæ Adlzreit.
Dux oppressorum sortem misertus, Til- part. 3. l. 6.
lio exercitus foederati Imperatori in Le Blanc.
mandatis dedit, ut præprimis Bohe- Hist. de
miam ab hostili Mansfeldianorum ex- Bav. t. 4.
cursionem vindicaret. Hic ergo collecto
milite Pilsnam profectus, per Schön-
feldium Baronem Lotharingium empta
præsidiariorum defectione urbem exi-
guo temporis spatio occupat, & Mans-
feldium iterata clade affectum a cædi-
bus & direptionibus aliquamdiu deter-
ret. Inde promotis castris, & occu-
pata prius a Saxonicæ militibus Fal-
quenavia & Schlackenwalda, Tillius
intercepta arce Hertenbergensi Elen-
bogiam contendit, quam tamen urbem

Sæc. XVII. præfidiarii, Præfecto Henrico Orten-
 A.C. 1621. burgico Comite, strenue propugna-
 bant, validæ opis, quam Mansfeldius
 a Schlikio Comite & Elenbogensi No-
 bilitate rogatus promiserat, fiducia ani-
 mati: Verum Tillius die nona Maij
 urbem tanto impetu adorsus est, ut
 decimo inchoatæ obsidionis die muri
 ruina ad irruptionem opportuna pan-
 deret: unde obsessi, cum de Mansfeldii,
 qui cum octo millibus tardius accu-
 rerat, suppetiis desperarent, deditio-
 nem fecere, & arma contra Fœdera-
 tos gerere, integro trimestri prohibiti,
 direptionem centum florenorum mil-
 libus redimere iussi sunt. Pari fato
 Balthasar Maradius Verlingam & Clin-
 genbergam urbes Mansfeldii milite
 munitas in Cæsaris obsequium reduxit.
 Tum demum Tillius ipsum Mansfel-
 dium totis viribus aggredi, illumque
 ex castris suis Roscopfii loco percom-
 modo sitis die nona Julii deturbare sta-
 tuit: Aliquamdiu nonnisi velitationi-
 bus dimicatum est, æquali utrinque
 victoriæ gloria, & cladis dispendio:
 tandem vero die decima septima ejus-
 dem Mensis pertinax ac cruentum ini-
 tur prælium, quo per duodecim horas
 in mutuas cædes desævitur, cæso e-
 tiam Joanne Jacobo Baurio fortissimo
 Herbipolensis Legionis Præfecto, qui,
 cum

cum hostem e vallo, quod ipse occupaverat, bis disjecisset, trajecto per caput globo gloriose occubuit. In hac pugna utrinque non pauci cecidere, ex Mansfeldianis tamen longe numero plures, ac ipsemet Mansfeldius ægrevitæ periculum eluctatus est; globus enim e tormento excussus, totoque impetu in terram concidens, tantam glebæ vim in Mansfeldium excussit, ut mox præceps datus, semianimi similis corrueret, utroque Vinariensi Principe ceterisque, qui proxime adstabant, casum mortemque Comitis horrentibus, quamvis omne intra trepidationem discrimen steterit: Interea vero Anholtius Comes supremus Boici exercitus vigiliarum Præfectus cum suis copiis in Palatinum Superiorem penetrans, primo Cambum decimo obsidionis die, & postea Ambergam ultro-nea deditioe subegit: quo comperto Mansfeldius, cum viginti sex Bavarorum millia in Palatinum irruere, suosque iteratis præliis ac magna clade protritros, seque ad tantas redactum angustias cerneret, ut ab hostibus undique cinctus, iterata proscriptione ter-ritus, rerumque inopia pressus, aut Bavaris sese dedere, aut ferro vique reditum sibi aperire cogeretur, hinc desperatis rebus suis in fraude & dolo

Sæc. XVII.
A. C. 1621.

Lotich. l. 10.

cap. I.

Rapin Thoi-
ras Hist.

d' Angl. l. 18.

tom. 8.

Sæc. XVII. A. C. 1621. opem quærere statuit: misso igitur Sol-
 mensi Comite Superioris Palatinatus
 Fridericiano Prætoro die vigesima se-
 ptima Septembris pacis colloquium
 Tillio offert, pollicitus, quod, nume-
 ratis ducentorum florenorum millibus,
 copias suas quamprimum dimissurus
 esset, & ne quid de ejus sinceritate du-
 bitaretur, castrorum munimenta apud
 Weidhusium Bavaro traderet. Dantur
 igitur utrinque obsides, a Tillio Crat-
 zius, & Haimhusius, a Mansfeldio
 Comes Ortenburgicus, & Tribunus
 Carpezanus dextrimus texendæ frau-
 dis Architectus: Petit insuper, ut qua-
 tuordecim dierum spatium, quo Pala-
 tinum desuper monere posset, ei conce-
 deretur, quo evoluta Tillio declarabat,
 quod ejus Tribuni locum a Cæsareis
 castris remotiorem eo fine postularent,
 ut cuique, quorsum velit, libera disce-
 dendi facultas esset: quo impetrato
 oscitantius a Cæsareis observatus in-
 dicta clam profectio cum omnibus
 suis copiis die quarta Octobris, intem-
 pesta nocte in Palatinatum inferiorem
 summa celeritate e Palatinatu superiore
 erupit, evasit. Fugitivum quidem Mans-
 feldium Tillius insequabatur, sed elusa
 ipsius potiundi spe totum Palatinatum
 nullo negotio occupavit, unde incer-
 tum, an Mansfeldius Bavaro plus pro-
 fua

fuerit dolose fugiendo, quam fuisset nociturus strenue pugnando. Sæc. XVII.
A. C. 1621.

§. LVIII.

Franckenthalium a Mansfeldio obsidione liberatum.

Mansfeldius interea Britannicas Verri Angli, & Palatinas Obertrautii legiones, ceterasque in præsidium Palatinatus inferioris relictas copias sibi adjunxit, ac trajecto apud Manheimium Rheno Franckenthalium obsidione liberare constituit: Erat illud validum Inferioris Palatinatus propugnaculum, quod Gonsalvus Corduba, qui Spinola in Belgium reverso Hispanis copiis præerat, jam integro Mense tam arcte cinxerat, ut proximam potiundæ urbis spem haberet: tum vero Mansfeldius ab obsessis pacta pecuniarum mercede evocatus, inopinato cum toto exercitu advolat, cui Corduba cum numero ac viribus impar esset, noctu obsidionem solvit, ac relictis ægrotis faucisque quamplurimis WORMATIAM versus digressus est. Mansfeldius vero in Spirensis Episcopi ditionem movit, & concessa militibus suis prædandi impunitate ipsemet omnia cis Rhenum oppida, præcipue vero Brugsalensem civitatem gravissimis exactionibus exhaust,

Brachel. Hist. l. I. Merc. t. 9. lib. 2. Annal. Boic. l. 6. Bellus laur. l. 6. 6. part. 614. Merc. t. 14. pag. 98. Barre hist. d'Allem. t. 9. p. 519.

M 5

Sæc. XVII. A. C. 1621. INSTRUMENTUM
 haufit, trans Rhenum quoque Didesheimium, Kirchweilam, & Lauterburgum, cunctaque hujus Regionis loca rapinis & incendiis infesta reddidit, ut ex prædis, extortisque subditorum pecuniis stipendia militaria suis copiis numerare posset. Relicto demum Palatinatu in Alsatiam prædabundus excurrit, ac præprimis Muro-Monasteriensem urbem & Abbatiam prædivitem adhibita vi occupavit, desideratis suorum trecentis: postea circumvicinos pagos & oppida incendiis & rapinis devastans, a Catholicis & Judæis Hagenoensibus plusquam centena Imperialium millia extorsit, quod quidem pretio cives vexationem ulteriorem se Germana fide mercatos fuisse sperabant, suo tamen damno edocti fuere, quod juxta Catholicorum dogma data hæreticis fides sit servanda, raro tamen ab hæreticis data servetur; quippe Mansfeldius publicam fidem frangere assuetus, nondum evolutis quatuordecim diebus, intra quos ab armis se cessaturum promiserat, urbem hostiliter invasit, captamque suo milite in cives denuo grassante firmavit: Eodem quoque dolo Tabernæ civitatis, quæ Argentinensis Episcopi imperio paret, deditionem petitis centum mille Philippicis extorquere tentabat: verum

Sæc. XVII.
Sæc. 1621.

rum obfessi alieno periculo cauti, cum interim duo armatorum millia in opem immiffa fuiffent, Mansfeldio responderi curarunt, quod pro hac pecunia globos & nitratum pulverem coemiffent, cujus fi odorem percipere vellet, obfidionem urgeret. Hoc sarcasmo exasperatus Mansfeldius, expugnatione desperata, bellum atrox miserorum rusticorum fortunis, eorum armentis, & agris intulit, undè coloni, desertis fuis ædibus reque omni domestica, per devia & invia palantes, hyemis rigore magno numero perierunt, locaque late omnia, his prædonibus cefferunt: Mansfeldiani enim in ulteriorem Alfatiam, Brisgoiam & hæreditarias Auftriæ Regiones excurrerunt, & rapinis, incendiis & direptionibus cuncta devastarunt. Ipse quoque Mansfeldius in Spirenfem Epifcopatum reversus, Medenburgicam arcem irrito conatu tentabat, ac haud procul aberat, quin Cæfaris - Lutheram aliquot civium conſpiratione interciperet: detecta tamen conjuratione ipse spe fua delufus, recedere coactus est, proditoribus perfidiæ fuæ culpam ſuſpendio luentibus.

§. LIX.

Sæc. XVII.
A. C. 1621.

§. LIX.

Heidelberg a Tilio frustra ad deditionem sollicitata.

*Bellus l. 5.
Meteran.
l. 41.
Merc. Gal-
lob. t. 9. l. 2.*

Cum ditiones Catholicis partibus & Cæsari addictæ Mansfeldii crudelitati impune essent objectæ, & Gonzalvus Corduba prædatoribus reprimendis impar esset, Maximilianus Bavarix Dux Tiliium Comitem iussit, ut copias ex hibernis eductas rursus contraheret, promotisque versus Neccarum castris sese Cordubæ copiis, Mansfeldianos insecuturus jungeret. Igitur Tilius in inferiorem Palatinatum irrumpens, die vigesima octava Octobris Heidelbergam hujus Provinciæ Metropolitan cinxit, datisque ad Palatini Senatores literis urbem Cæsaris imperio subjici petiit, vicissim omnem securitatem pollicitus. Verum Heidelbergenses Mansfeldii sat propinqui fiducia animati instigante Henrico Merves urbis Governatore responderunt, quod inconsulto Verio, ac Electore incio nil decernere possent, civitatem vero sibi commissam usque ad extremum vitæ halitum tueri statuissent, si ergo Tilio virtutis suæ experimentum facere libuerit, non obstarent, quo minus urbis obsidionem tentare, & experiri posset,

set, an ipsis minus, quam Francken-
thalensibus animi sit: insuper cives in
Cæsaris despectum cantilenam in om-
nibus ferme plateis decantabant, quam
tamen petulantiam æque ac arrogans
eorum responsum anno sequenti ama-
ris lacrimis deflere compulsi sunt.

Sæc. XVII.
A. C. 1621.

§. LX.

*Jacobi I. Angliæ Regis deprecatio
apud Cæsarem pro Friderico
Palatino.*

Quantumvis Fridericus Palatinus
suam in Cæsarem rebellionem per
suos fautores totis viribus prosequi
tageret, non deerant tamen ex Princi-
pibus non pauci, qui pro eo apud Cæ-
sarem impense deprecarentur, & qui-
dem præter Daniæ Regem, Jacobus
quoque Angliæ Rex Friderici Socer
Londini comitiis die vigesima Januarii
habitis, ut a suo Senatu pecuniarum
suppetias obtineret, Palatinatus tuendi
obtentu utebatur: ne vero sinceri sui
propositi dubium relinqueret, Digbium
cum aliis Nobilibus Legatum Viennam
decrevit, qui Palatinum in Cæsaris gra-
tiam recipi, ac in eundem statum, quo
ante sui electionem in Bohemiæ Regem
erat, restitui, & proscriptionis execu-
tionem aut revocari, aut saltem suspen-
di

*Thoiras hist.
d' Angl.
tom. 8. l. 18.
Lotich. l. 9.
cap. 6.
Barre Hist.
d' Allemagn.
tum. 9.*

Sæc. XVII. di peteret. Id sibi Rex eo facilius se a
 A. C. 1621. Cæsare obtenturum, pollicebatur, quo
 certius ex ejus literis ad Albertum
 Archiducem datis, Ferdinandum ad
 pacem cum Palatino ineundam para-
 tum nosset, ac ipsemet Hispaniarum
 Rex Cæsari significasset, quod si Pala-
 tinatum Bavarix Duci traditurus esset,
 nullas ultra suppetias ab Hispania spe-
 raret: Hac igitur spe fretus Rex, Dig-
 byum ad Cæsarem ablegat. Huic die
 decima quinta Julii ad alloquium ad-
 missio, in responsis datum, quod at-
 tenta Angli Regis moderatione, alio-
 rumque Regum & Principum depre-
 catione Cæsar ad reconciliationem
 paratus esset, cum vicissim, a Palatino
 debitum Cæsareæ Majestati obsequium
 & satisfactionem præstitum iri, Rex
 caveret: tanti autem momenti res to-
 tum Imperium concerneret, ac pro-
 pterea Cæsar Ratisbonam Imperii
 Conventum indixisset. Interim Hi-
 spaniæ etiam Rex, & Albertus Archi-
 dux Belgii Gubernator, necnon Ilsa-
 bella Clara Eugenia ejus Conjux pro
 Friderico deprecati sunt: quo comper-
 to Digbyus rem potentius urgendam
 ratus, oblato libello supplici, nomine
 Regis sui denuo pollicitus est, effectu-
 rum se, ut concessis ac promulgatis
 induciis, Mansfeldius exauctoratis suis
 copiis

copiis nihil contra Cæsarem, suasque Sæc. XVII.
& aliorum Principum ditiones molire- A. C. 1621.
tur, vel si id præstare recusaret, pro
aperto hoste a Rege suo & Palatino
haberetur: præterea se effecturum, ut
Jægerndorffius omni potestate & Im-
perio exueretur, & Thaborensis ac
Wittingaviana Bohemiæ urbes adhuc
Palatino obnoxix Cæsari restituerentur:
Hanc Legati propositionem Ferdinan-
dus Imperator, magis ad veniam quam
vindictam facilis, mox Saxonix Ele-
ctori, & Bavarix Duci manifestabat,
qui ambo hanc reddendæ pacis occa-
sionem haud esse negligendam cense-
bant: quocirca Cæsar Isabellæ rescri-
psit, quod si pro præsentis rerum vi-
cissitudine nihil in Palatinatu inferiori
impedimenti accidat, stabilitis hisce
conditionibus, de induciis agere va-
leat: idem quoque Cæsar Digbyo An-
gliæ Legato significari iussit.

§. LXI.

*Cæsaris responsum ad Anglici Ora-
toris epistolam.*

Accepto hoc responso Digbyus, prout *Barr. hist.*
ei Cæsar author erat, die undeci- *d' Allemagn.*
ma Septembris Vienna profectus, ad *l. c.*
Superiorem Palatinum, ubi tum Ba- *Merc. l. 2.*
varix Dux in castris erat, contendit, *tom. 9.*
de

Sæc. XVII. de induciis cum eo acturus: Huic ve-
 A. C. 1621, ro Maximilianus respondit, Mansfel-
 dio crudelem in modum Cæsareas æ-
 que ac Palatinas ditones adhuc deva-
 stante, de induciis minime cogitandum
 esse, se autem confidere in Dei opem,
 armis, quæ resumere coactus esset,
 brevi bello finem se impositurum. Ac-
 cepto hoc responso Digbyus datis ad
 Cæsarem literis die quinta Octobris
 vehementer questus est, quod Bavariz
 Dux demandatæ potestatis limites ex-
 cedens, Palatinatum non Cæsari, sed
 sibimetipsi vindicare niteretur: Ad
 has vero literas hæc respondit Cæsar,
 „ego quidem quoad Palatinatum Su-
 „periolem proscriptionis executionem
 „suspendi concesseram, postquam vero
 „Palatinus non modo sese adhuc pro
 „Rege gerit, ac quasdam urbes in Bo-
 „hemia retinet, sed insuper per Mans-
 „feldium in Palatinatu superiori & per
 „Jægerndorffium in Silesia & Hunga-
 „ria bellum prosequitur, Gaborem ad-
 „versus me & Imperium concitat, cum-
 „ctaque molitur, ut ad repetendam
 „Bohemiam nihil ipsum nisi fortunæ
 „invidia, viriumque imbecillitas im-
 „pediat, hinc rebus ita constitutis Ba-
 „variz Dux arma corripere & Mans-
 „feldium persequi, jussus fuit: ac pro-
 „pterea nequidem in inferiori Palati-
 „natu

„natu induciis locus esse poterit, eo-
 „quod Horatius Verius Palatini Belli-
 „dux aucta indies insolentia in Spiren-
 „sis, Herbipolensis & Bambergensis E-
 „piscoporum, necnon in Electoris Mo-
 „guntini ditiones ferro flammaque cru-
 „deliter grassetur, non alia ex culpa,
 „nisi quod hi Principes mihi & Impe-
 „rio fidem suam integram servarunt,
 „proin nondum vicinorum Principum
 „securitati, si induciæ vigerent, cau-
 „tum foret., Accepto hoc responso
 Rex Angliæ sequentes reconciliationis
 leges Cæsari proposuit. I. Fridericus
 in Cæsaris gratiam recipi supplex pe-
 tat. II. Omni juri pro se & posteris
 suis in Bohemiæ regnum cedat. III.
 In pristinam dignitatem restituatur.
 IV. Imposterum pacem nullis clande-
 stinis molitionibus perturbare præsu-
 mat. V. Cum ceteris tam Ecclesiasti-
 cis quam profanis Principibus recon-
 cilietur, & facta injuriarum oblivione
 pacem cum Cæsare ineat. Postea Rex
 declarabat, quod si quid aliud adhuc
 desideraretur, illud quoque a Genero
 suo ratum haberetur, si vero adimple-
 tis his conditionibus reconciliatio ta-
 men obtineri nequiret, Rex armis suis
 id evincere cogeretur. Perceptis hisce
 literis Cæsar, ut se a pace nullatenus
 alienum demonstraret, Schwartzzen-
 burg.

Sæc. XVII,
 A. C. 1621.

Sæc. XVII. burgensem Comitem Londinum ab
A. C. 1621. legavit.

§. LXII.

*Bohemiæ Directorum, & ceterorum
Rebellium supplicium.*

Bellus laur. Interim Pragæ Liechtensteinius Prin-
Aust. p. 530. ceps per constitutos Judices in Bo-
551. & 609. hemiæ rebelles inquiri jusserat, tan-
Meter. Hist. dem die quinta Aprilis ex Bohemiæ
Belg. l. 41. Directoribus, qui e Regno profugerant,
p. 324. ac tertio citati non comparuerant, no-
Theatr. Eu- minatim viginti novem publice tan-
rop. p. 531. quam rebellionis, fractæque pacis pu-
Merc. l. c. blicæ, ac perduellionis rei proscripti
p. 237. fuere, data universis potestate, eos
Londorp. ubicunque fuerint, trucidandi, eo-
Theatr. Hist. rumque bona Cæsareo ærario adjudici-
p. 907. candi: Eodem tempore in Ivanber-
gium, Felsium, Smircisium, Stuben-
bergum, Guttensteinium, Uchnitzium,
Gersdorffium, Pfafferkornium & Bu-
ban, etsi jamjam tunc defuncti essent,
eadem tamen pronuntiata est senten-
tia, damnataque eorum memoria, &
omnia eorum bona fisco addicta fuere,
servatus tamen ex Cæsaris benignitate,
hæredibus eorumque posteris honor.
Ceterum qui vivi in Cæsaris potesta-
tem venerunt, instituta quæstione dignas
rebellionis, totque malorum exinde
orto-

ortorum pœnas dedere: & quidem die Sæc. XVII.
 decima nona Junii ad ferale pegma A. C. 1621.
 quadraginta tres horum criminum rei
 producebantur, quibus hæc sententia
 prælecta est: Popelius Lobcovitzius,
 Ritschan, Vastrovetz, Pitibescius, &
 Borbonius perpetuo carcere, Carabo-
 nius & Haslaverus perpetua, Zaveta
 vero annua servitute plectantur, Jau-
 rinum transvehendi. Uslerus in car-
 cere, donec aliter jussum fuerit, hæ-
 reat. Diebifus, lingua abscissa & ad
 patibulum affixa, Jaurinum ad perpe-
 tuam servitutem mittatur. Poffichetz-
 cius, Cubinus, Schvela virgis cæsi e
 Regno in perpetuum expellantur, Ca-
 meritus ad annum proscribatur, Schli-
 kensis Comes, & Budovitzius Senior,
 amputata prius dextera, vivi in qua-
 tuor partes secarentur, & partes ad
 quatuor vias, caput unacum manu ad
 turrim in ponte affigatur, ex gratia
 tamen Cæsaris hi sicut & Harrandus
 capite plectantur, amputata postea
 manu: Michalovitzius, Caplitzius octo-
 genarius, Loffus, Duorfetzius, & Bi-
 laus Cochanus, Stefgecus, Colarus
 Senior, & Sixtus ex Cæsaris clemen-
 tia gladio percutiantur, eorumque ca-
 pita ad turrim affigantur, Maschirofs-
 cius, Bockus, Clumskius, Rosfinus,
 Tscheringius, Corfacius, Setfchifius,

Sæc. XVII. A. C. 1621. Widmanus, & Vocotschius decollati
 Scultetus vero Primas in
 Cuttenberg & Maximilianus Hæstelig
 Primas in Satz gladio percutiantur,
 & illius caput in Cuttenberg, hujus
 in Satz patibulo affigantur. Jessenius
 Lutheranus Declamator & Professor
 lingua abscissa capiteplexus in quatuor
 partes secetur, & partibus ad quatuor
 vias suspensis caput ad turrin pontis
 affigatur. Cuttenavius & Susitzius
 e fenestra ad Curia trabem suspendan-
 tur, & Nathanel Vodniandseius in cru-
 cem veteris Pragensis urbis tollatur:
 omnium vero horum bona, dote tamen
 uxorum excepta, fisco applicentur.
 Perlecta hac sententia rei ad carceres
 reducti fuere, facta cuilibet eos acce-
 dendi facultate: Erant omnes secta
 Lutherani præter Budovitzium Calvi-
 nistam, & Tscherinium Catholicum:
 Desudabant Sacerdotes Catholici in
 Heterodoxis ad veram fidem revocan-
 dis, sed omnes hosce Sectarios Reli-
 gionis Catholicæ odium, & factionis
 studium in sectæ suæ fanatismo obdu-
 ratos detinuit. Sequenti die præter
 hos adhuc Leander Ruppelius & Geor-
 gius Havenschildt condemnati fuere,
 ita quidem, ut abscissa dextera gladio
 percuterentur, & capita, manusque
 ad turrin affigerentur.

§. LXIII.

Sæc. XVII.
A. C. 1621.

§. LXIII.

Hujus sententiæ executio.

Die igitur vigesima prima Junii clausis portis, dispositisque per plateas militibus sententia hæc, ut lata erat, executioni dabatur, & quidem novem Directores capite puniti sunt præter alios octodecim, quorum tantum corpora contrectare, carnifici concessum non erat, Jessenio autem carnifex manibus in tergum revinctis apprehensam forcipe linguam abscidit, quam pœnam fusis ad Deum precibus invicta patientia eum sublisse testantur Lotichius, aliique Scriptores heterodoxi: mihi tamen ad manus est Historia præfati Lotichii, ubi ignota manu hæc verba adscripta lego, *tu dicis, ego vero, qui vidi, non credo.* Præterea Elias Roslinus Senior, & Theodorus Sixtus in carcere ad multorum preces, donec Cæsar Pragam veniret, relictii sunt, ceteri vero e fenestra partim suspensi, partim virgis cæsi, & in exilium amandati; multorum enim Cæsar pœnam mitigabat, quosdam etiam supremo supplicio eximebat, ipsis quoque uxoribus, & amicis concedebat, ut mortuorum corpora sepeliri curarent. Diebibus autem, postquam sup-

*Londorp.**acta publ.**l. 6.**Carafa**Germ. Rest.**comm.**p. 101.**Lotich. l. 8.**c. 5. §. II.**Brachel.**Hist. l. I.**pag. 37.*

Sæc. XVII. plicium subierat, sequenti die mortuus
 A. C. 1621. in carcere inveniebatur. Jam antea

Fruweinius itidem Director per fenestras ex Turri præcipitem sese dederat: aut a carnifice in saccum intrusus, & curru impositus, in quatuor partes dissectus fuit, capite & manu ejus dextra ad patibulum, partibus vero in variis locis affixis. Hujus autem executionis æquitas ac necessitas comprobata legitur in actis publicis Londorpii l. 6. pag 907. Refert etiam Carolus Carafa Episcopus Aversanus, Author fide dignissimus, ac summi Pontificis apud Cæsarem Legatus; quod eadem die, in quam inciderat octava festi diei Sancti Viti, Metropolitanæ Ecclesiæ Pragensis Patroni, ab ipsismet hæreticis, immo ab ipsismet Satellitibus Friderici Palatini auditus fuisset noctu in prædicta Metropolitana Ecclesia, a media decima, more Germanico usque ad tertium quadrantem horæ undecimæ, cantus multorum tanquam Presbyterorum Catholicorum psallentium in choro, unde postea cognitum fuerit sanctum Vitum, & alios Sanctos, quorum reliquæ in eadem Ecclesia asservabantur, illo cantu clamasse vindictam, quæ anno revoluto eadem die de prædictis Directoribus justo Dei judicio sumpta fuit.

Bellus p. 596. Addit his Brachelius, auctoritate & Sapientia viri gravissimi permotus, libenter

ter hæc commentationibus meis inserui, ceteroquin quomodocunque auditis, narratisque, uti facile fidem non habeo, ita nec commemorandis credulitate legentium abutar.

Sæc. XVII.
A. C. 1621.

Demum Cæsar pro innata sua clementia, se ad veniam ceteris reis concedendam inclinare, palam declarari iussit, dummodo plerique se ad recipiendos gratiæ fructus aptos redderent, quocirca non pauci ex Bohemis non modo in Cæsaris gratiam recepti, sed etiam Religionem Catholicam amplexi sunt: captum quoque Anhaltinum Junioem Imperator ad Christiani Principis Patris sui preces, concessa delicti venia, libertati restituit, & quarto post anno ipsum quoque Patrem benigne recepit.

§. LXIV.

Prædicantes Praga & ex toto Bohemice Regno exclusi.

Peracto hoc supplicio Cæsar multos Prædicantes Bohemos & Ministros A catholicos e toto Bohemice Regno ejici iussit, non quidem ex sectæ odio, sed quia ferventibus turbis Bohemicis moderationis limites egressi, multa in Cæsarem seditiose, petulanterque non modo ad populum pro concione declamitassent, sed scriptis etiam, atque

Merc. t. 9.

l. 2. p. 360.

Brachel.

Hist. l. I.

pag. 37.

Carafa l. c.

Theatr. Europ. p. 542.

Sæc. XVII. editis libellis vulgassent, populumque
 A.C. 1621. suis monitis ad seditionem in Cæsarem
 concitantes, se barbarum participes
 reddidissent. Igitur ob hæc crimina
 Liechtensteinius Princeps auctoritate
 Cæsarea die decima tertia Decembris
 sequens edictum promulgari iussit:
 „Non verbo solum Divino, sed & Con-
 „stitutionibus Imperii cautum est, ne
 „quis seditionem adversus Magistratum
 „excitet, vel excitatam quacunque ra-
 „tione promoveat, maxime vero ne
 „Prædicantes, & Ministri inter hæc
 „Religionum dissidia sub quocunque
 „prætextu tumultum aliquem in po-
 „pulo sub constituta in eos legibus divi-
 „nis & humanis pœna concitent: de Præ-
 „dicantibus autem & Ministris Bohemiæ
 „notum omnibus est, prima eos sedi-
 „tionis in Regno semina sparsisse; an-
 „no enim millesimo sexcentesimo deci-
 „mo octavo ipsa Dominica Crucis, &
 „Rogationum die scriptum aliquod vi-
 „rulentum, & seditiosum, multisque
 „refertum mendaciis, quo populus
 „adversus Ordinarium & constitutum
 „a Deo supremum Magistratum suum,
 „Mathiam nempe Cæsarem in vivis
 „tum existentem, & Ferdinandum post-
 „ea modernum Imperatorem no-
 „strum Clementissimum, itemque ad-
 „versus constitutos ejus Vicarios, Of-
 „ficia-

„ficiarios & Consiliarios concitatus, ab Sæc. XVII.
 „obedientia debita abductus, & ad A. C. 1621.
 „perniciosam armorum correptionem,
 „seditionisque inflammationem provo-
 „catus fuerit, e suggestis & pulpitis
 „prælegerunt, promulgarunt, & per
 „omne Regnum disseminarunt. Se-
 „cuta est deinde crudelis illa & nefa-
 „ria christianisque antehac inaudita
 „illa Vicariorum & Consiliariorum Maje-
 „statis Cæsareæ per fenestras exturba-
 „tio, & Reliquorum ab officiis remo-
 „tio: progressi vero in malitia sua con-
 „cionatores isti in Pragensibus & aliis
 „Regni Ecclesiis, dato campanarum
 „signo populum certis diebus horisque
 „provocarunt, ineptas, ambitiosas &
 „ridiculas contra Cæsaream Maješta-
 „tem, fidelesque ejus Ministros dire-
 „ctas precatiunculas ei prælegerunt,
 „typisque impressas divulgavit, fa-
 „ctum inde est, ut turbarum istarum
 „directores per novam & perfidam ini-
 „quamque electionem caput aliud Re-
 „gno præfecerint. Concionatores id
 „quidem gratum ratumque habuere,
 „nec ab admonitionibus cessarunt, do-
 „nec electum istum Regem suum Fri-
 „dericum Palatinum banni jam ful-
 „mine percussum in Regnum adduxif-
 „sent, & coronassent, omniaque fecif-
 „sent, quæ ad maledictam fœderatio-

Sæc. XVII. „nem istam, qua Christiana fere omnis
 A. C. 1621. „turbata Respublica, & barbaro Chri-
 „stiani nominis hostis jugo subdita im-
 „plicitaque fuit, adserendam confir-
 „mandamque, & modis omnibus con-
 „servandam facere potuerint, reperiun-
 „tur vero adhuc inter inquietos istos
 „homines, aliqui, qui turbare & a-
 „vertere a Cæsare subditos ne nunc qui-
 „dem, quibuscunque id fieri possit oc-
 „casionebus, cessent. His de causis
 „habita a Deputatis ad eam rem Con-
 „siliariis Cæsaris deliberatione decre-
 „tum est, ut seditiosi isti homines om-
 „nes, maxime vero, qui edictum il-
 „lud seditiosum & nefarium anno mil-
 „lesimo sexcentesimo decimo octavo
 „publici juris fecerunt, & futilem istum
 „coronationis actum vel perfecerunt,
 „vel approbarunt, ex toto Bohemiæ
 „Regno, omnibusque ei incorporatis
 „provinciis, & totius Austriacæ Fa-
 „milix ditionibus, tametsi poenam
 „longe graviolem meriti fuerint, pro-
 „scriberentur, relegarentur, & in per-
 „petuum excluderentur. Relegamus
 „igitur, proscribimus, & excludimus
 „jam vi acceptæ a Cæsarea Majestate
 „potestatis protestantes Concionatores
 „istos tanquam pacis publicæ turbato-
 „res, & Cæsareæ Majestatis violatores,
 „contemptores, perjuros, & perfidos

„uni-
 „

„universos, & singulos nemine exce- Sæc. XVII.
 „pto, serioque mandamus & volumus, A. C. 1621.
 „ut proxime post affixum publice edi-
 „ctum istud ex oppidis Pragensibus,
 „& postmodum intra octiduum toto
 „Bohemiæ Regno, incorporatis ipsi
 „Provinciis, & omnibus ad Cæsarem,
 „domumque Austriacam pertinentibus
 „locis excedant, nec toto vitæ suæ
 „tempore ad ea unquam revertantur,
 „hanc tamen interim gratiam ipsis fa-
 „cimus, ut bona sua mobilia secum
 „abducant, immobilia vero, si quæ
 „habeant, intra menses tres per pro-
 „curatorem aliquem divendant. Hac
 „expressa addita interminatione, ut si
 „quis post elapsum tempus istud vel
 „Pragæ, vel alio aliquo Bohemiæ &
 „incorporatarum, aliarumque Cæsari,
 „& Austriacæ familiæ subjectarum pro-
 „vinciarum loco reperiatur, & crimi-
 „num istorum, de quibus dictum ha-
 „ctenus fuit, reus esse convincatur,
 „sine omni exceptione in aliorum exem-
 „plum capite plectatur. Eadem pœna
 „omnibus, qui ex eorum numero ali-
 „quem hospitio suscipere, & fovere ul-
 „tra præscriptum tempus ausi fuerint,
 „denuntiata. Promulgato hoc edicto
 „Prædicantes Hussitæ ad quinquagin-
 „ta, solum verterunt; postea eorum
 „Templa fuere clausa, eisque Pragensis
 „Aca-

Sæc. XVII. A. C. 1621. Academiæ administratio adempta: Nihilominus ex hisce Prædicantibus duo modestiores natione Germani, ne populus concitaretur, & ne Principes novos in Imperio tumultus concitarent, fuere tolerati, ceteris exulare jussis, eo quod omnes se dicteris & scommatibus contra Cæsarem macularint, & tam in urbe Pragenfi, quam extra urbem in universo Regno sectam suam propagantes, seditionem suis declamationibus promoverint, alii vero Cæsaris in Bohemiæ Regem factam electionem velut iniquam proclamantes, Fridericum inaugurarint, & perjuris ac sanguinariis consultationibus in Carolino Collegio interfuerint. Nihilominus proscripti hi Prædicantes ad Saxonix Electorem profugi novas bello flammam sufflaminarunt, cælum aeremque lamentis replentes: cum tamen Principes Catholici duntaxat in fidei odium Catholicos Sacerdotes innoxios ex Anglia, Transylvania, Hungaria, & hoc ipso anno ex Belgii Fœderati Provinciis turpiter ejectos cernere debuerint.

§. LXV.

*Cæsaris literæ contra ignominiosum
Jægerdorffii Brandeburgici
Marchionis diploma.*

Publi-

Publica hæc sceleratorum vindicta Sæc. XVII.
 Joannem Georgium Jægerndorffium A. C. 1621.
 adeo non a sua rebellione revocabat,
 ut inde ferocior factus, occupata Trop- Meteran.
 pavia & Niffa, captisque quatuor Epi- Hist. Belg.
 scopatus Administris sibi fidei sacra- l. 41. p. 326.
 mentum a civibus exsolvi juberet. Post- Merc. t. 9.
 ea adjunctis sibi rebellibus Regino-
 Gradecensis Circuli rusticis Costoli-
 zium aliaque loca subegit, atque im-
 modicas exactiones a Catholicis Niffæ
 & Vratislaviæ extorsit. Nec his con-
 tentus ad utriusque Silesiæ Ordines,
 necnon ad alias diversas Provincias
 die tertia Julii diploma emisit, in quo
 Pragensem rebellium castigationem
 velut *crudelem, & plusquam barbaram*
 depingens, hosce reos *ob singularem in*
Religione & fide Regi suo data constantiam
 necatos, eandemque lanienam brevi
 Vratislaviæ, aliisque in locis peractum
 iri, audentius quam verius edicebat,
 Silesios hortatus, ut adversus iniquam
 hanc vim mature sibi prospicerent, &
 se absente, atque in Hungariæ Regis
 opem accurrente, interim præstitum
 Friderico juramentum integra fide ser-
 varent. Verum Saxonix Elector mox
 aliud edictum ad Silesios transmisit, in
 quo eis declarabat, quod Jægerndorf-
 fuis suo diplomate unice intendat, ut
 sublata reconciliatione non sine labore
 ob-

Sæc. XVII. obtenta, eos omnes pristino involvat
A. C. 1621. periculo: de cetero Elector ignominiosa
 ejus verba de Pragensi supplicio Cæsari vindicanda relinquat, æqualis autem severitas Silesiis post transactionem a Cæsare clementissime acceptatam nullatenus timenda foret: si vero ipsi met hæc reconciliationis pacta violarent, tunc Elector a culpa immunis esset, & Cæsar, si pro officii sui ratione in transgressores severe animadverteret, reprehendi haud posset. Hæc Elector ad Silesios: ipsemet vero Imperator die decima septima ejusdem Mensis Jægerndorffii calumnias confutabat, datis ad Silesios his literis: *Vobis devotis meis Principibus, statibusque sat notum est, quantum mali proscriptus iste a multis jam annis fecerit, quantum multis in locis damni dederit, quas turbas in Silesia excitarit, quantopere prædecessoribus nostris Rudolpho, & Mathiæ Imperatoribus repugnarit, & quam Silesia quiete sua a primo ejus in eam adventu frui nunquam potuerit: æstimare igitur omnes facile possunt, continuationem hanc consuetæ malitiæ ejus, & ad omnes turbas excitandas prolatam, reipsa autem fictum, & falsum commentum esse; quod enim ad Pragensæ seditiosorum supplicium attinet, id ex vero in manifestis delictis fundamento, a bene constitutis Commissariis meis, adhibita semper*

per gratia nostra, & quidem in ejusmodi **Sæc. XVII.**
 saltem personis, quæ non tantum perniciosæ **A. C. 1621.**
 seditionis & turbarum istarum, quibus to-
 tum fere regnum subversum, Europa etiam
 ipsa commota, & copiosissima Christiani
 sanguinis facta profusio fuit, auctores pri-
 marii fuerunt, sed etiam, ut omnem obla-
 tam gratiam nostram respuerint, subditos
 concitarint, summa expetente necessitate,
 nisi vindictam Dei incurrere, expetente
 scilicet eam innocenti sanguine, voluisse-
 mus, peractum esse constat, quod præterea
 de infinitis aliis, quibus idem supplicium
 in Bohemia expectandum esset, itemque
 de pæna consimili in Silesia, & maxime
 Uratislaviæ instituenda proscripius addit,
 pro mero & vero ejus commento habende-
 dum est; quemadmodum enim in Bohe-
 mia, quæ mali omnis caput, & origo ex-
 titit, pro multis millibus, qui ut gladio
 Regnum recuperare cogeremur, causæ om-
 nes extiterunt, pauci tamen turbarum
 auctores, nullo Religionis respectu habito,
 ad pænam protracti & supplicio affecti
 fuerunt, ita impertitæ Principibus, Sta-
 tibusque in Silesia veniæ, factæque ipsis
 omnibus condonationis gratiæ immemores
 haud quaquam sumus, sed omnia, quæ in
 facta cum ipsis ab Electore Saxonice
 Commissario nostro transactione continen-
 tur, firmiter, dummodo in devotione erga
 nos perseveraverint, servabimus, ut nullam
 metue-

Sæc. XVII. A. C. 1621. *metuere pœnam quisquam cogatur, sancte affirmamus, & hoc ipso confirmamus, contra vero Principes, Status, & subditos Silesiæ omnes, ut nec Proscripti istius, nec cujusquam alterius dolis & figmentis seduci sese patiantur, sed in terminis transactionis se contineant, & modis omnibus id agant, ut Proscriptus iste, a quo delusi non semel fuerint, cum omnibus ejus affectis opprimatur, & provincia omnis, eo sublato tranquillitati & nitore pristino suo restituatur, monemus.*

§. LXVI.

Hostiles Jægerndorffii excursiones in Moraviam, & Silesiam.

*Bellus l. c.
Merc. l. 2.
tom. 9.
Brachel.
l. c. p. 39.*

Postquam Jægerndorffius cum Bethlenio in Moraviam, ut supra retulimus, irruerat, Scalitsium, Rauberti, quem in gratiam receptum Cæsar huic arci præfecerat, perfidia occupavit, cumque Scalitsenses præsidarii pariter arcem & oppidum ultronea deditione cederent, Jægerndorffius nullo ferme negotio plurima Moraviæ loca suæ potestatis fecit: brevi tamen hujus victoriæ cursus hæserat, postquam Cæsar ductoribus Esterhasio, Wallensteinio & Hanibale Donavio, copias suas in hosce prædones emiserat; quippe intercepto prius Jægerndorffio, ab-

latis

latisque aliquot belli tormentis Cæsa- Sæc. XVII.
 rei Leipnicum, quod paulo ante hostis A. C. 1621.
 ditione ceperat, recuperarunt, tan-
 demque Jægerndorffium cæsis suorum
 non paucis, & maxima parte copia-
 rum intercepta e Silesia ejecerunt, a-
 missa etiam Glaza, quam Turianus
 Junior animo quam fortuna meliore,
 incassum defenderat. Demum om-
 nis redeundi spes Jægerndorffio præ-
 cisa videbatur, postquam die vigesima
 tertia Octobris Silesii Ordines Vratis-
 laviæ, nomine Cæsaris Electori Saxo-
 nico fidelitatis juramentum præstitere;
 nequicquam enim Jægerndorffius datis
 suis literis Silesios ab obsequio dehor-
 tabatur, cum econtra hi ultro pecu-
 niarum subsidia, & auxiliares copias
 Cæsari pollicerentur, quo facta pax
 per universam Silesiam promulgata est.

§. LXVII.

Hispani exercitus victoria, & clades.

Dum interea inter Hispanos, & Foe-
 deratos Ordines bellum ferveret,
 & prædationibus, mutuisque cædibus
 ac præliis certaretur, Balthasar Mara-
 dius Taborrensem urbem in Bohemia
 postacerrimam integri anni obsidionem
 die decima octava Novembris ad de-
 ditionem compulit: in Palatinatu au-
 tem

*Meteran.
 Bellus, &
 Merc. l. 6.*

Hist. Eccles. Tom. LVII.

O tem

Sæc. XVII. tem Hispani Steinium, munitissimum
 A. C 1621. oppidum die vigesima secunda Augusti
 interceperunt, Ridenam vero arcem,
 quæ ad Juliacense propugnaculum viam
 aperit, occuparunt, deditioe faciente
 Titfortio Præfeto, qui propterea a
 Fœderatis Ordinibus capite plexus
 obiit. Demum vero Slusa incassum
 tentata, Consalvus Corduba Palatinis
 in fugam actis plurima Palatinatus in-
 ferioris loca suæ potestatis fecit, ac
 Juliacum obsidione cinxit, & Dides-
 heimio deditioe capto Haselochium
 diripuit, incendioque vastavit, truci-
 datis maxima parte incolis. Ad Rhein-
 feliham autem arcem Hispanæ victoriæ
 impetus stetit, cujus obsidionem præ-
 fidariis strenue sese defendentibus Hi-
 spani solvere coacti sunt: Auspicius
 autem hoc anno res Hispanis in na-
 valibus præliis cessere; Rex enim Ma-
 rochi obsidens arcem ab iis constructam
 ad fluvium Mamoram prope Alarchiam,
 adventante Hispana classe, fugatus est;
 eadem quoque classis triginta duas Ba-
 tavicas naves, Venetiis reversas, e-
 lapso jam induciarum tempore aut ce-
 pit, aut demersit: vicissim vero Ba-
 tavi sex Hispanorum naves auro, ac
 pretiosis mercibus onustas occuparunt,
 tanta Regis Hispani indignatione, ut
 impunem quascunque Batavorum na-
 ves

naves
 30, 2000
 1000

ves intercepti facultatem cuilibet Sæc. XVII.
concederet. A. C. 1621.

§. LXVIII.

Christiani Brunsvicensis Ducis grafsationes.

Mense Octobri ex Saxonie inferioris Principibus in Palatini favorem novus Cæsaris hostis in aciem prodiit. Erat is Christianus Brunsvicensis Dux, intrusus Episcopus Halberstadiensis, qui apud Batavos posito militiae tyrocinio, viginti annorum juvenis animo audax, ferocia præceps, atque impavidus obsectæ consortium collapsas Friderici res erigere statuit: Collecto igitur majore, quam vires illius sustinere poterant, exercitu in Palatinatum moturus, aliquot Equitum, peditumque millia ad Mindensem, Hildesheimensem, & Brunsvicensem ditiones præmisit. Hi vero sub Duce ad omnem vitæ licentiam effuso, lascive, petulanterque egerunt omnia, & non tam hostibus, quam civium, & rusticorum bonis bellum indixere: Quocirca Saxonici Principes, & præcipue hujus Pseudo-Episcopi Frater Luneburgensis Dux collectis copiis in hosce prædones impotentibus furiis debacchantes inopino impetu irraunt, ac subito oppressos

*Lotich. Rev.**Germ. l. 10.**cap. 6**Meteran.**l. 41.**Brachel.**Hist. l. 1.**pag. 43.**Carafa**p. 111.**Merc. Gal-**lob. t. 9. l. 2.*

Sæc. XVII. pressos cædunt, & dissipant, armis & A. C. 1621. vexillis sex direptis, eorum quoque Tribunis acerbe vapulantibus. Christianus tamen obfirmato adversus fortunam animo residuas ex clade copias colligens, facto per Hassiam itinere, & occupata per dolum Amænoberga ditionis Moguntinæ oppido ingentem omnis generis bonorum prædam inde abduxit: hoc successu elatus, Neostadium usque processit, ac indigenis in Palatini fidem jurare jussis, circumvicina oppida, pagos, & arces, quæ ad Ludovicum Hassiæ Landgravium, aliosque Nobiles spectabant, exactio- nibus, ac deprædationibus exhaustis, permissaque suis militibus ubique prædandi licentia, Valium & Gleimam urbes incendio delevit, inde per Franconiam junctis cum Mansfeldio viribus rem Palatini curaturus suas deprædationes latius extendit.

§. LXIX.

Christianus Brunsvicensis ex Hassiæ finibus in Westphaliam recedere compulsus.

Bellus l. 5. pag. 601.

Perceptis novæ hujus violentiæ ausibus, iterato Ludovicus Hassiæ Landgravius Christianum hortabatur, ut peregrini militis vires trans Rhenum, Mænum-

Mænumque transitu per Cæsarem pro-
 hibito ad Batavos suos redigeret, re-
 gionesque amicas novis belli periculis
 exoneraret, potiusque adversus Tur-
 cas bellando nominis sui gloriam au-
 gere niteretur. Hic vero, feroci, ut
 erat, ingenio, ingentemque ad auda-
 ciam composito hanc Landgravii ad-
 hortationem ægerrime tulit, ac die
 vigesima quarta Novembris misso fe-
 ciali hostilia quævis minitatus, eidem
 significari jussit, quod neque ad
 Hassorum, nec Hispanorum potentiam,
 utrique animo & viribus par, expalle-
 sceret, & si quid damni a Landgravio
 inferretur, tanta severitate Hassiam
 devastaturus sit, ut non modo ipse
 Landgravius, sed feri ejus Nepotes,
 arma temere sumpta deploraturi essent:
 Ex hac non minus feroci, quam peri-
 culosa fortitudinis jactantia Landgra-
 vius mala rebus suis ominatus, Mau-
 ritii Hassiæ itidem Landgravii auxilium
 implorabat: ast post crebras ultro citro-
 que datas literas sat aculeatas nil opis
 ab eo impetrare poterat: interea vero
 Catholici foederis Principes de repel-
 lenda Halberstadiensis vi deliberarunt,
 datumque rei exequendæ negotium Ja-
 cobo Anholtio Baroni, supremo Boici-
 peditatus Vigiliarum Præfecto. Hic
 ergo ineunte jam hyeme exercitum ex

Sæc. XVII.
 A. C. 1621.

Sæc. XVII. Hispanis, Moguntinis, Herbipolen-
A. C. 1621. bus, & Hasso - Darmstadianis confla-
 tum in Veteraviam duxit, ubi Chri-
 stiani Principis milites jamjam An-
 spurgense Monasterium diripere inten-
 tos in fugam egit, promotisque castris
 ad Vallem Buseccanam propius in ho-
 stem movit, Halberstadiensibus invicta
 pugnandi aviditate resistentibus: cum
 vero Anholtius submissis Croatarum
 copiis fortius instaret, armatus hic
 Pseudo-Episcopus cæsis suorum circi-
 ter centum, faucibusque quamplurimis,
 confossoque, cui infidebat equo, pedes
 in Paderbornensem Diæcesin retroce-
 dere coactus est, expilatis antea Neo-
 stadio, & Amœnoberga, quibus recu-
 perandis Anholtius depulso Episcopo
 intentus erat. Inde vero Cæsar Dig-
 bio Angliæ Regis Legato, qui Bavari
 expeditionem contra Bohemos velut
 minime necessariam suggillabat, sat
 opportunam demonstrandi occasionem
 nanciscebatur, quod ob continuatas
 novasque tam Christiani, quam Mans-
 feldii turbas hæc expeditio nullatenus
 intermitteri potuerit, ac Legatus impro-
 vide dixerit, Cæsari a Mansfeldio nil
 ultra restare periculi.

Sæc. XVII.
A. C. 1621.

§. LXX.

Seditiosa Hugonotarum in Gallis molimina adversus Regem, ejusque auctoritatem.

Cum interea Protestantes in Germania Cæsaris auctoritatem, & Catholicorum Principum potentiam sub afflictæ religionis, læsæque libertatis obtentu concutere, totis viribus adlaborarent, Hugonotæ in Gallis nil intentatum, inausumque reliquere, ut everso Monarchico Regimine Democraticam Hollandæ Reipublicæ normam in Galliarum quoque Regnum invehere possent. De iniquo hoc eorum proposito omni data occasione sub Regum Prædecessorum Regimine haud obscura promicabant indicia: Postquam vero Ludovicus XIII. Gallici Regni habenas moderari cæperat, tum Hugonotæ haud dissimulanter in Rupellensi suo conventiculo, quod tamen Rex indicta læsæ Majestatis pœna jam Mense Octobri anni prioris dissolvi præceperat, hoc consilium non modo in medium protulere, sed etiam sancita lege stabiliverunt, vi cujus in nova hac Republica ex omnibus Franciæ Hugonotis conflata duntaxat omnium Provinciarum Deputati una congregati

Calmet Hist. Univ. l. 151.
Serres Hist. Franc. pag. 962.
Daniel hist. de France tom. 10.

Sæc. XVII. A. C. 1621. suprema valerent auctoritate, ac soli
tam Curiaë, quam militiaë Præfectos
 nominarent, æraria administrarent, & cetera majoris momenti negotia expediri juberent. Ne vero intra nuda legis verba hæsisse viderentur, cuilibet ex sectæ suæ Proceribus cujusdam Provinciaë Præfecturam commiserunt, ut ex primo Rupellensis conventus articulo elucet. Nec his satiata erat usurpata eorum dominandi libido; insuper enim particulare sigillum, quo sua diplomata, belli indictiones, vectigalium Regionum exactiones, mandata, & si quid ultra Regium est, munirent, confici curarunt, cum hac inscriptione: *Pro Christo & grege.*

§. LXXI.

Bellum a perduellibus Calvinistis contra Regem suum in Rupellensi conciliabulo decretum.

Hæc, cum impune a Rege tolerari cernerent Calvinistæ in Amiliano conventu congregati, mox Monæum Rupellam, ubi jam Provinciarum Oratores, hujusque sectæ Ministri, *superba gens, & impatiens jugi*, convenerant, ablegarunt, ut hos ad parandum bellum concitaret. Hoc nuntio nil optatius accidere poterat Rupellensibus, qui

*Gramoud.
 Hist. Gall.
 l. 6. & 7.
 Theatr.
 Europ.
 pag. 666.*

qui sua quoque vota eo collimare, illico responderunt. Dispositis igitur ad bellum omnibus, Favosium tanquam supremum reformatæ Religionis Legatum Parisios ad Regem decernunt, unacum literis, in quibus rebellionis suæ causas exponebant, in hunc fere modum. „Cogimur adversus extremam violentiam, & intentatum nobis excidium ad defensionis remedium jure naturali nobis concessum prorumpere: declaramus tamen, quod conscientiæ nostræ libertati, vitæque securitati prospicientes, nihilominus Regiam Majestatem, tanquam Dominum, & Regem nostrum agnoscamus; atque in ejus obsequio immote perseverare intendamus: sed propter hanc ipsam obediendi promptitudinem nobis a Religionis nostræ doctrina instillatam hostium nostrorum invidiam, vexationes, & odium nobis accersivimus: cum enim hi Religionem nostram, fortissimum illud adversus exterorum molimina & insultus propugnaculum, penitus eliminare adlaborent, causas, ob quas ad propriam nostram defensionem recurrere coacti simus, manifestare liceat, æ primo quidem nos, sicut olim primos Christianos tanquam rebelles & seditiosos publice traducunt inimici nostri;

Sæc. XVII.
A. C. 1621.

Sæc. XVII. „cum tamen nostræ fidei, bonis ac
 A. C. 1621. „Prædecessorum nostrum Sanguini tam
 „Henricus III. & IV. quam ejus Filius
 „Regni solium quod possidet, ejusque
 „felicitatem maligne in dubium voca-
 „tam in acceptis referre teneantur.
 „Prædecessores nostri hisce regibus,
 „quos Catholici oppresserant, opitulati
 „sunt, ac propterea nos in fidei præ-
 „mium Religionis libertatem Regio ob-
 „tinuimus edicto. Hoc igitur revocari
 „aut nobis ob Religionem bellum abs-
 „que aperta pacis infractione indicari
 „non potuisset. Pro vindicanda ergo
 „innocentia nostra tantopere læsa ma-
 „nifestare liceat horum tumultuum Au-
 „thores, eorumque vexationes nobis
 „irrogatas. Hi enim pro abrogando
 „Nannetensi edicto præprimis essece-
 „runt, ut Rex in sua inauguratione ju-
 „raret, se omnes hæreticos ab Eccle-
 „sia damnatos e Regno ejectionum, hoc
 „quoque juramentum exsolvi, & Sy-
 „nodam Tridentinam admitti, in nu-
 „meris Regni comitiis Ecclesiastici &
 „Nobiles urgebant: his accessere sedi-
 „tiosi Jesuitarum, & Monachorum fer-
 „mones, quibus contra hoc edictum
 „declamarunt, cumque hodieum Je-
 „suitarum auctoritas in Aula adeo ex-
 „creverit, ut pro suo arbitrio cuncta
 „in Regno disponere valeant, merito
 „time-

„timemus, ne sicut in Germania præ- Sæc. XVII.
 „sens bellum contra Religionem infla- A. C. 1621.
 „marunt, ita suis consiliis longe præ-
 „conceptum Religionis nostræ exci-
 „dium promoturi sint, eo vel maxime,
 „quod Regis animum adeo obsederint,
 „ut Regni periculo admonitus, respon-
 „derit, *sibi animam Regno esse potio-
 „horum importunitate devictus Rex in
 „Bearnia Episcopis bona Ecclesiastica,
 „& Catholicis liberum Religionis suæ
 „usum, adversus continuatam in hunc
 „usque diem possessionem restituit: Un-
 „de post peractam Regis expeditionem
 „antiquus hujus Provinciæ status ita
 „est immutatus, ut hodie nos in terra
 „nostra extranei simus, ab officiis no-
 „stris amoveamur, vel excludamar,
 „Regique exosum sit nomen nostrum,
 „multique ex Parisiensi Senatu propter
 „hasce vexationes detereantur, quo-
 „minus ad nostras accedant partes, per-
 „cussi etiam fuere atrociter, qui genua
 „flectere negabant, circumducto per
 „Metropolim *idolo* (*). Præterea ja-
 „cent insepulta nostrorum cadavera,
 „di-*

(*) En! enormis petulantiaæ exemplum.
 Hi audacter coram Rege Catholico contume-
 liam Religioni Catholicæ irrogare non eru-
 buere, qui tamen se Calvinistas nominari
 querebantur.

Sæc. XVII. „diruuntur, cremantur, & polluuntur
 A. C. 1621. „Templa nostra, temerantur manes, &
 „irrisui sunt pastores nostri, a plebe
 „ludibrio habentur, nostramque Reli-
 „gionem profitentes, in agone confi-
 „tuti Religionem abjurare coguntur,
 „pauperes & ægroti ex Nosocomiis ex-
 „pelluntur, & infantes invitis paren-
 „tibus in fide Catholica imbuuntur,
 „necnon in monasteria rapiuntur, Mi-
 „nistris pensiones denegantur, & duo-
 „bus in Senatu jus suffragii aufertur,
 „denique dejicimur ab urbibus, quas
 „in vim edicti Nannetensis possideba-
 „mus, substituitur nostris in arcibus ini-
 „micus miles, & quæ reformatis con-
 „cessa erat Lectorensis urbs, aliaque
 „munimenta, a Papistis occupantur. Ut
 „adversus ejusmodi oppressiones reme-
 „dium in Regis protectione supplices
 „invenire possemus, Henricus IV. in-
 „terdum conventus agere permittit:
 „concessit etiam nobis Majestas sua. ut
 „conventum Loduni haberemus, quæ-
 „dam etiam impetravimus a clemen-
 „tia tua, reliqua, in quibus salutis
 „nostræ momentum erat maximum,
 „jussi transmisimus in spem, facta pol-
 „licitatione, fore, ut post sex Menses
 „nostro libello supplici subscriberetur,
 „ea tamen conditione, *ut interim con-*
 „ventum nostrum solveremus: solvimus ex
 „tem.

„tempore, pollicitumque nobis est, quod Sæc. XVII.
 „si intra semestre deficeret promissa sub- A. C. 1621.
 „scriptio, nobis liceret sine nova concessio-
 „ne comitia cogere: ita nobis insinuarunt
 „Condæus, & Luynæus. Lapsi sunt
 „sex Menses, revolutus jam ex integro
 „annus, & adhuc exspectamus, ut ex-
 „solvatur fides data: interim Regis
 „jussu Bearnensibus ablata sunt bona
 „Ecclesiastica, Salesus officio amotus,
 „urbs papistico præsidio munita, &
 „Templa Papistis vindicata, instiganti-
 „bus Cotono & Arnaldo Jesuitis, quo-
 „rum prior Regi Author erat, quod &
 „æquivocationis ope datam fidem ser-
 „vare non teneretur, posterior vero in
 „nostrum contemptum librum edebat
 „sub hoc titulo: *Rex in Bearnia*. Post-
 „quam vero subscriptio non fuerat se-
 „cuta, ad diem vigesimam quintam No-
 „vembris Provinciarum Deputatos Ru-
 „pellas convocavimus: mox autem
 „indictis pœnis conventum solvere jussi
 „sumus: Rogavimus, ut calumnias a
 „nostris hostibus impactas diluere pos-
 „simus, sed incitantibus adversariis no-
 „stris Rex ad preces nostras surdus,
 „Rupellensibus arma minitatur: qua-
 „propter ad conservandam conscientiae
 „nostrae libertatem, & ex amore erga
 „patriam nostram ad legitimam & ne-
 „cessariam defensionem, ceteris nostrae
 „Reli-

Sæc. XVII. „Religionis in opem convocatis, re-
A. C. 1621. „currimus, rogantes Majestatem. ut
 „sibi persuasum habeat, quod sicut
 „obedientes filii, nullam in terris supra
 „Regiam, esse potestatem, quam Ca-
 „tholici suo Pontifici vindicant, nega-
 „mus, ita quoque pro Regis, Regni-
 „que incolumitate quotidie Deum exo-
 „ramus: omnes quoque Reges, Prin-
 „cipes & Ordines imploramus, ut in-
 „nocentiam fidelium subditorum tan-
 „topere oppressam tueri velint. „ Idem
 hoc scriptum, quod Sectarii Ludovico
 Regi porrexerant, non modo in Gal-
 liis, sed in tota mox Europa divulga-
 runt, Regi suo, & omnibus populis
 petulanter illudentes, quorum temeri-
 tatem saniores detestabantur, & mon-
 stri loco habebant, quod plebei homi-
 nes, subditi, sæx vulgi, mangones
 & lixæ, quales erant in Rupellensi
 conventu congregati, leges condere,
 Regiam auctoritatem usurpare ausi fue-
 rint, & pari audacia, qua olim Batavi
 a Rege Hispano, habito prius simili
 conventu, defecerunt, ipsi quoque ex-
 cusso legitimi Regis sui imperio popu-
 laris imperii fundamenta jacere, & ta-
 men belli pro Regis auctoritate moti
 speciem jactitare, re ipsa vero Regni
 fundamenta sub falso læsæ libertatis
 obtentu convellere præsumperint.

Tam

Tam luculenta autem erat indomita Sæc. XVII.
 Calviniani vulgi dominationem avide A. C. 1621.
 ambientis arrogantia, ut eandem ab-
 horrentes Lediguerius, Bullionius,
 Tremollius, & Castilionius, quibus
 a Rupellensi Synagoga prima armorum
 imperia fuerunt delata ab hujus sectæ
 causa defecerint, missisque abjurandæ
 factioni in Aulam Oratoribus novo Sa-
 cramento fidem Regi suo obstrinxerint:
 quinimo Lediguerius, quamvis & ipse
 secta Calvinista esset, Rupellensibus ad
 eorum literas hæc rescripsit: *Rupellam
 convenistis: quonam jure? Nemo vestrum
 ignorat illegitimos esse conventus quoslibet,
 inscio Rege indictos. Quæsitus color in-
 dictioni, & Lectora, ex Bearnia, ex non
 adimpleto articulo, vi cujus duo ex refor-
 matis Parlamento Lutetiano ut admittan-
 tur, sancitum. Parcite, amabo, si libere
 vobiscum loquar, & sine furo, alias pro
 proditore habendus. Vance sunt penitus,
 quas movistis, querelæ, magisque in bel-
 lum prætextus, quam pro causa com-
 muni Zelus. Plane factum satis petiti-
 onibus vestris, antequam delegati a vobis
 Rupellæ convenirent. Ergo conventus
 non modo illegitimus est, sed & sine
 causa probabili. Quos petebatis Lute-
 tiano Parlamento adscribi Senatores duos,
 adscripti fuerunt. Quam querebamini
 Lectoram a Fontaralio possideri post pro-
 fessam*

Sæc. XVII. *fessam ab ipso fidem Catholico-Romanam, A. C. 1621. translata fuerat in Blainvillium reformatum, eoque nomine probatum vobis. Libertas conscientiae in Bearnia integra est, pastores, ritus, & templa in præsens sunt qualia fuere sub Henrico IV. si quid mutatum in urbibus, si leges novæ constitutæ, meminisse debetis, Regem esse, qui sic mutavit, qui sic constituit. At mutata præsidia arcium, dejectis veteribus præfectis, novi substituti pro Regis delectu. Qua lege, quaeso, vetitum Domino uti re sua? si conceditis legitime regnare Principem, an num, & conceditis urbes, & quæcumque in regno publica sunt, ipsius esse? Precario regnat, qui in urbibus patitur militem suum in alterius verba jurare, rexque nominatenus est, qui personæ ex necessitate addictus, habet magis quod sequatur, quam quod eligat. Hinc palam est, contra jus omne convocata comitia: palam est ex conventu illegitimo Regis iram juste excitam. Ceterum si redire in gratiam vultis, non adeo desperata est causæ Salus, quin adhuc per Legatos molliri possint, quæ alias crudeli morbo bello transigentur. Ego in aula sum, vobis, ut singulis, ut universis opitulaturus, si non denegabitis Officium ipsi vobis. Si non actutum dissolvitur, quem contra regni leges indixistis, conventus, perduelles estis; prorsusque irritum erit quod-*

quodcumque pro communi causa conabor: Sæc. XVII.
 contra si absistitis, plura (mihî credite) A. C. 1621.
 impetrabo, & majora, quam creditis.

Hæc Lediguerius pro ea, qua va-
 luit in Regem fide, Rupellensibus re-
 scripsit, hi vero eundem tanquam ve-
 nalem adulatorem, causæque com-
 munitis desertorem pro consueta sua
 moderatione Calviniana detestati sunt.

§. LXXII.

*Belli leges a rebellibus Calvinistis
 sancitæ.*

Acceptis Rupellensium literis Rex re-
 sponsum dedignabatur, ne sua cum Calmet Hist. Univ. l. 151. Gramond. l. c. p. 341.
 rebellibus subditis comparata auctori-
 tas vilesceret: eorum tamen feroci ausu,
 ac impendentis mali periculo compel-
 lebatur Rex, ut post suam patientiam
 tam diu fatigatam tandem serio bellum
 decerneret: Ast jamjam Sectarii Re-
 gem hostili invasione prævenerant;
 quippe die octava Februarii Privatien-
 sem arcem cinxere, eamque decima
 quarta obsidionis die occuparunt: quo
 successu ferociores effecti, præcipua op-
 pida, vel ad annonam in castra adve-
 hendam, vel ad Regias ditiones inva-
 dendas opportuna præsidario milite
 firmarunt, & quamvis Montmorentius
 Dux Occidaniæ Gubernator Velauniam
Hist. Escles. Tom. LVII. P in

Sæc. XVII. in Cemmenio tractu, & postea Valo-
A. C. 1621. niam Calvinistis eripuisset; hi tamen
 nihil inde territi, in conventiculo suo
 Rupellæ habito die decima Maij se-
 quentes, quibus bellum gereretur, le-
 ges promulgarunt. I. Rupellenses De-
 putati Regni Provincias ac Præfecturas
 hoc ordine dividant, ac distribuant,
 Bullionio Normaniam &c. Subisio Bri-
 tanniam & Pictones. Tremollio En-
 golismenses, & Santones. Forcæo
 Patri Aquitaniam, Rohanæo Galliam
 Narbonensem superiorem & Castillonio
 inferiorem. Lediguerio Delphinatum
 &c. Forcæo Filio Bearniam commit-
 tant. II. Supremum imperii jus in
 omnes sit penes Bullionium. III. Con-
 ventus, quales nunc habentur, nihil
 immutato continuentur, & quoties
 necessarium erit, celebrentur. IV.
 Supremus exercitus Imperator libere
 militum delectus habeat, prælia &
 obsidiones aggrediatur, imperia, &
 munia pro arbitrio distribuatur, salva
 Castrametatoris, & rei tormentariæ
 Præfecti auctoritate. V. In consilium
 eidem a comitiis quolibet trimestri tres
 Delegati assignentur. VI. Semel a co-
 mitiis confirmati Vicarii non muten-
 tur. VII. Provinciarum Præfecti ca-
 ptas urbes regant. VIII. A Comitibus
 eligantur urbium jam occupatarum
 Præ-

Præfecti, excepta Rupella, ubi nihil Sæc. XVII.
 immutabitur. IX. Comitibus Rupellen- A. C. 1621.
 sibus supremus militiæ Præfectus, Pro-
 vincialibus vero Provinciarum Præ-
 fecti præerunt, reliquis Præfectis aut
 Legatis sedis & sententiæ jus habenti-
 bus. X. Extra comitia de induciis,
 vel pace non agatur. XI. Quæ sine
 Præfectorum consensu armis capien-
 tur, pro illegitima præda habeantur.
 XII. Tribuni, se militiæ & ærarii le-
 ges a comitiis præscribendas servatu-
 ros, jurent. XIII. Milites continen-
 tes sint, & Præfecti secum in castris
 suos habeant Prædicantes. XIV. Blas-
 phemi puniantur, & scorta ex castris
 ejiciantur, militesque a discordia ab-
 stineant. XV. Pro captis de redem-
 ptionis pretio statuatur a Præfecto.
 XVI. Omnis præda in publicum con-
 feratur. XVII. A sua centuria nullus
 ad aliam transeat, invito Tribuno.
 XVIII. Munia nulli absque comitio-
 rum diplomate conferantur. XIX.
 Numerus extraneorum, qui ad urbem
 admittuntur, Præfectis indicetur. XX.
 Inconsultis comitiis, aut Præfectis
 nullus expeditionem bellicam suscipiat,
 XXI. Miles suis stipendiis vivat. XXII.
 Stipendia vero publice cuilibet nume-
 rentur. XXIII. Cum hoste nullum ha-
 beat commercium sub capitis pœna.
 P 2 XXIV.

Szc. XVII. XXIV. Pro transfugis Centuriones ca-
A. C. 1621. veant. **XXV.** Quæ ad culturam agri
 spectant, a vi & præda sint exempta.
XXVI. Facta pace urbes captæ non
 victoribus, sed proprietariis reddantur.
XXVII. Molitores & frumenti vendi-
 tores ab omni belli incommo-
 dō immunes sint. **XXVIII.** Omnes Regii
 proventus, & reditus Ecclesiastici pro
 sustinendo bello jure pleno impendan-
 tur. **XXIX.** Sexta prædæ pars & ur-
 bium exactiones in communem caus-
 sam, & **XXX.** Decimæ, tributa Re-
 gia, item maritimæ prædæ decima
 pars pro conscribendis militibus im-
 pendantur. **XXXI.** Pastoribus ex bo-
 nis Ecclesiarum pensio numeretur in
 victum & vestitum, si vero per clades
 vel incendia, quid damni passi fuerint,
 indemnitati vel saltem ipsorum victui
 comitia prospiciant.

Stabilitis hisce legibus, incertoru-
 more in vulgus spargebant, agnitas
 Ludovico Regi non esse Reformatorum
 vires, eorum causam quadringentis
 suorum millibus firmari, ducentas eis
 arces in Galliis esse inexpugnabiles, tre-
 centas urbes, & mille quingenta ma-
 joris molis tormenta bellica, & si vel
 semel Rex adverso Marte pugnaturus
 esset, coronam ipsius periclitari, pro-
 ximamque esse Status mutationem ex
 Regio

Regio in popularem: Tantum nempe Sæc. XVII.
 hi Sectarii tum valebant, quantum se A. C. 1621.
 valere putabant.

§. LXXIII.

*Ludovici Regis diploma in favorem
 Calvinistarum eidem fidelium.*

His thraſonicis minis, & inchoatæ Gramond.
 rebellionis tumultibus tandem ex- l. 6. p. 349.
 citatus Rex cum triginta peditum, & Calmet Hist.
 quatuor equitum millibus ad compe- Univ. l. 151.
 ſcendos furiosos hoſce Hugonotas in t. 16. p. 293.
 aciem procedere ſtatuit; ut vero in-
 noxios a metu liberaret, & noxios in-
 dulgentia ad obſequium revocaret.
 Nannetense edictum, cujus revocatio-
 nem velut unicam juſti tumultus cauſ-
 ſam obtendebant, confirmavit, die vi-
 geſima quarta Aprilis edito hanc in-
 rem ſequenti diplomate: *Ex quo Gal-
 licæ nobis adminiſtratio permiſſa a Deo, ſæ-
 pe agnovimus edictorum executioni, inter
 ſubditos noſtros ineſſe concordiam: huc in-
 duſtriam ſedulo & quodcunque laboris con-
 tulimus, ſæpe Sectariorum proditiones con-
 ſervandæ paci diſſimulavimus, ſæpe debitæ
 pœnæ exemptos dimiſimus, quorum crimina
 non ferro, vix expiari poterant flammis.
 Poſtquam ignorantibus nobis, nec permis-
 ſuris, Rupellæ nuper indicta Comitia, quo
 medela præverteret malum, acriter inſtiti-*

Sæc. XVII. *mus prohibendis, in spem, fore, ut evane-*
 A. C. 1621. *scerent prava in seditionem Consilia: res*
contra vertit: visa illis indictio serius facta,
ex quo prohibita erat; anticipatur conven-
tus, quia vetitus. Ibi quodcumque supremis
Principibus debitum est, qualia sunt edicta,
belli denuntiatio, tributi indictio, Sigillum,
proscriptio, jus vitæ & necis, aliaque e-
jusmodi, ea impudentia usurpantur, ut
dubitare nemo possit abdicatum penitus Re-
gem ab iis, qui sic regalia exercent. Hæc
quam gravia nobis, quamque intolerabilia,
judicent, quorum interest, externi Princi-
pes: Quantacumque protervitas est, dissi-
mulavimus diu ea mente, ut si redirent ad
se consulti melius, gratia dilueretur crimen.
Enimvero quia ex clementia nostra feroci-
tas, & obstinatio ipsorum augetur: in
noxios inviti agemus ex lege. Ceterum,
quia e Sectariis non pauci fideles nobis ope-
ras exhibent, unde iniquum foret, optime
de Rege suo meritos involvere damnationi,
quæ diversam habet a Religione causam:
hiscæ literis in præsens & in futurum vali-
turis, in protectionem nostram vocamus,
quotquot e Secta nobis militabunt, & si
qua invicem nectuntur, religio non patitur
ut in consortes suos arma capiant, sat fue-
rit protectioni nostræ promerendæ, si pri-
vatum agentes seditione abstinerint. De-
claramus insuper idem velle nos in præsens
quod ante, memoricæ felicis Henricus pater
vult,

voluit, quo tempore Nanneticum edictum concessit Sectariis, quam nos concessionem primo in regnum ingressu, Sacramento solemnem firmavimus, & firmamus adhuc pari religione. Qui ergo a Convocatis contra nos Rupellam Comitatus desciverit, securus esto. Hæc ut quamprimum in executionem veniant, mandamus Præfectis urbium, Senescallis, præpositis, iudicibus, consulis quibuscunque demum Magistratibus, si qui municipia regunt, seu provincias administrant: ut subditos e secta nostros (si patet de obsequio & fide) ea qua in provinciis funguntur auctoritate, protegant, permissis ipsis libero exercitio religionis suæ: contra, si factioni subscripserint, placet agi in ipsos velut in publicos grassatores. Mandamus insuper procuratoribus fisci & quibuslibet eorum Vicariis, ut promulgatam hujus edicti formulam sedulo exsequantur, ita enim placet. Datum Fonbellaquei vigesima quarta Aprilis anno Salutis millesimo sexcentesimo vigesimo primo, & regni nostri undecimo.

Hujus edicti clementia non pauci, vel antea decepti, vel impendentis periculi metu absterri, a communi hujus sectæ causa defecerunt, potissimis, ut sectam suam cum ceteris defenderent, ad extrema quævis, aut tentanda aut sufferenda paratis; falsa enim Religio arctiori vinculo, quam ce-

Sæc. XVII.
A. C. 1621.

Sæc. XVII. tera humanæ societatis fœdera mentes
 A. C. 1621. constringit, adeo, ut qui sectæ fanatismo obruuntur, Principem, patriam, commune bonum, publicumque & privatum jus, conculcatis etiam Divinis & humanis legibus, flocci faciant: quamvis in hoc ipso sectæ propugnandæ studio contra præcipuum sectæ suæ caput pugnarint, vi cujus Principi legitimo plenam in sacra auctoritatem, & quænam Religio suo Regno, suisque subditis magis proficua esset, decernendi facultatem tribuunt.

§. LXXIV.

Bearnia ab Espernonio subjugata.

Gramond. l. c. Calinet Hist. Univ. l. 151. Interim a Rupellensibus belli contra Catholicos in Bearnia gerendi Belidux renuntiabatur Forcæus Marchio. Hic, quamvis a Rege hujus Provinciæ Prorex esset constitutus, nihilominus ex Rupellensium mandato copias contraxit, quibus milites a Rege in Bearniam immisos ejiceret: Igitur ejus jussu Bensinus sectæ Tribunus Montiscardam Turrim opportuno loco sitam invadit, arceque protinus munita, in circumjectam planitiem ferro grassatur: Obstat Poyanus Navarrexæ arcis Præfectus, qui collectis duobus peditum millibus, ac equitibus ducentis turrim obli-

obsidet, hostemque premit, reclamante Sæc. XVII.
 Forcæo, qui Poyani irruptione sibi A. C. 1621.
 tanquam hujus Provinciæ Præfecto in-
 juriam inferri caussatus, ni quampri-
 mum incæpto desisteret, ultionem ar-
 mata manu minitabatur. Ast Poya-
 nus his minis nequaquam territus,
 tanto impetu obsidionem urget, ut
 proxima esset Turris expugnatio, quam,
 ut dolo eluderet Benfinus, cum Senatu
 egit, ut ab hoc Turrim dedere jubere-
 tur, hacque ratione a Regiis minime
 devictus, sed Senatus auctoritate cessisse
 diceretur. Ita res cessit; dedita igitur
 turri Poyanus rebellium munitiones
 destruxit, Turrimque, in quam sedi-
 tiosi magnum belli apparatus conges-
 serant, demolitus est, Regique per-
 scripsit, deditam esse quidem arcem,
 sed adhuc Sectarios in armis esse, &
 quidem ductore Forcæo: Accepto hoc
 nuntio Rex pejora ex hac factione ve-
 ritus, primo Saludium Nobilem in
 Bearniam decrevit, qui Forcæum gra-
 vissimis verbis hortaretur, ut ad sanio-
 ra reversus, Regi obtemperaret, ejus-
 que auctoritatem revereretur: Ast hic
 arrogantius respondit, quod non posi-
 turus esset arma, nisi jussus a Rupel-
 lensibus: Hoc responso Rex auctori-
 tem suam adeo aperte peti indignatus,
 cum valido milite Espernonium Du-
 cem

Sæc. XVII. cem in Bearniam mittit, ut contuma-
A. C. 1621. ces in ordinem redigeret. Eo Provin-
 ciam ingredienti obviam processit Ar-
 rosius Baro, afferens, neminem in ar-
 mis stare, supervacaneum igitur fore,
 armata manu in Provinciam venire,
 quæ illum apertis portis, corde, &
 ulnis exceptura esset: Verum fallaci
 hoc lenocinio minime deceptus Dux,
 cum copiis ultra progressus est, capto-
 que Ortesio primo Bearnix oppido,
 reliquas ferme omnes urbes ad primum
 Regii exercitus aspectum sibi subegit,
 ipse etiam Forcæus, cum resistendo im-
 par esset, unacum suæ factionis sociis,
 qui paulo ante sese Regiæ potentix op-
 ponere audebant, turpi fuga dilapsus
 est: Prædicantes quoque cum suis uxo-
 ribus, liberisque in prærupta montium
 sibi male conscii aufugere: unde Esper-
 nonius præfidiario milite urbibus, &
 arcibus imposito, præcipuos motæ re-
 bellionis Authores comprehendit, jussit,
 Forcæum vero perduellionis damna-
 tum, subrogato Themino Marefcallo,
 Præfectura spoliavit. Hic Bearnensis
 seditionis erat exitus, eo gloriosior,
 quo minus erat cruentus Ludovici Re-
 gis, & Ecclesiæ Orthodoxæ de hære-
 tica rebellione triumphus.

Sæc. XVII.
Sæc. 1621.

§. LXXV.

Catholici a Castro-Albigensibus Calvinistis oppressi.

Sub idem tempus Orator a Rupellen-^{Gramond}
sibus decretus Castrum - Albigen-^{l. c.}
sium advenit, moxque Senatum ex
Catholicis & Calvinistis conflatum per
Bertrandum Præsidem convocari jussit,
eoquod haberet, quæ palam populo
proponeret: cum autem Bertrandus
probe nosset, quod faba cuderetur Ca-
tholicis, quibus aliunde a sectariis ho-
stilia inter & rixas quotidie fatale pe-
riculum imminebat, nullum non mo-
vit lapidem, ut Calvinianis Senatori-
bus persuaderet, quatenus ab Oratore
ad populum haberi concionem prohi-
berent, eoquod ex illa merito seditio-
nis exordium timendum foret: Ast hi
se inhibendæ rebellionis impares esse
responderunt, quocirca Bertrandus eis-
dem exposuit, quod potius officio suo
cederent in ejusmodi urbe, in qua im-
punitas esset crimini Majestatis: ad
hæc responderunt Calvinistæ, jam pla-
ne jactam esse in bellum aleam, satius
ergo fore, si cum insanientibus fure-
rent, quam turpi fuga suos socios de-
sererent, spondebant tamen, se qui-
dem clam pacis consilia promoturos,
palam

Sæc. XVII. palam vero inclinatu-
 A. C. 1621. ros in bellum, cum
 adultæ seditioni resistendo impares ef-
 sent. Postera die magna in Templum
 frequentia convenere Calvinistæ, &
 postquam ex Prædicantibus unus belli
 classicum in suo sermone cecinerat,
 Orator hæc subjunxit: *plenis comitiis
 conventum est, ut armata manu vindicen-
 tur privilegia, immunitates, & conscien-
 tiæ libertas, neque temere captum consilium,
 comparata sunt omnia, ut bellum Regi mo-
 veri possit, æqualia sunt utrinque peri-
 cula, subducta Regis persona, petitur unus,
 qui affligit omnes, accommodans privata
 libidini auctoritatem publicam, & regium
 nomen. Munienda est quamprimum urbs:
 pellendi Papistæ, satiusque erit, si eos cum
 suppellectile sua & impedimentis salvos di-
 miseritis: Assensere una omnes in Rup-
 pellense belli consilium: ne tamen ci-
 vibus imputaretur Catholici Magistra-
 tus ejectione, placuit eos dolo urbe sua
 amovere. Ergo studiose incutitur Catho-
 licis ex seditione timor, sparguntur
 taciti per vulgus rumores, jugulandos
 proxima quavis die Catholicos, expectari
 militare præsidium, cujus rabiem cohibere,
 Magistratus non valeret: Ut vero Catho-
 licis his rumoribus magis territi citius
 auffugerent, præsidiarios milites, sub
 obtentu, vitandæ ædium direptionis,
 ad Catholicorum fores disposuere, eis-
 que*

que vim fieri palam inhibuerunt, clam Sæc. XVII.
 tamen vim in se parari, probe Catholici A. C. 1621.
 prospexerant, postquam Bertrandum,
 & septem Catholicos Senatores aut
 mori, aut protinus facessere jusserant
 Calviniani, quorum tam furiosa erat
 rabies, ut Catholicos mox jugulandos
 minarentur, nisi urbe excederent: Mo-
 nent hi quidem Senatores Calvinianos,
 quantum Reipublicæ periculum immi-
 neat, si Senatus ex Catholicis simul
 & Sectariis edicto Nannetensi stabilitus
 dissolveretur: Ast incassum omnia: ne-
 gant Sectarii, se pro declinanda rebel-
 lione urbe excessuros: Catholici ergo
 Lautricum se recipere coguntur, ubi
 acceptis literis a Rege Senatum suum
 ad Villamurium urbem transferre ju-
 bentur: mittitur Castrum Regius Ap-
 paritor, Sectariis ab urbe discessum
 nuntians, nec tamen adhuc obtempe-
 rant: interim redeunt Tolosam Ca-
 tholicos Vicinus Ambranus cum cen-
 tum Equitibus per viæ pericula stipat:
 tandem etiam Sectarii Senatores Ma-
 gistratus munere sponte abscedunt, per
 varios fortunæ casus jactati, atque in-
 fensi Catholicis, & suspecti Calvinistis.

Sæc. XVII.
A. C. 1621.

§. LXXVI.

*Tumultus contra Hugonotas in Tu-
ronibus excitatus.*

*Gramond.
l. c. Serres
Franc. Hist.
pag. 963.*

Non multo post in Turonensi urbe Catholici innumerus, antea injuriis laceffiti adversus Hugonotas tumultuari cæperant, occasione inde exorta: Obierat Martinus quidam Niger, stabularius ex Catholico non ita pridem factus Calvinista, deferebatur ad sepulturam cadaver, feretro instant pueri Religionis Catholici, qui desertæ Religionis perfidiam exosi, incondito, ingentique clamore & ululatu nunc Martinum Lutherum ingeminant, nunc cantilenam in Martini contemptum compositam decantant, binique longo ordine parva ad manum cruce funus prosequi simulant: Ad crucis conspectum excandescere Calvinistæ, impactisque alâpis, & calcibus viciniore pueros appetunt, atque in terram præcipites agunt: plorant, clamant pueri, in horum opem concurrunt Matres, Viri, fœminæque, spargitur in vulgus rumor, quosdam Catholicos pueros odio Religionis a Calvinistis fuisse trucidatos. Fit popularis repente motus, & tumultuaria vulgi concursitatio: jamque effosso Martini cadavere a verborum injuriis ad

vete

verbera & arma ventum est. Obstat **Sæc. XVII.**
 Magistratus precibus primo, dein mi- **A. C. 1621.**
 nis; sed acrius inde accenditur populi
 furor: subvertitur cæmeterii Custodis
 domus, concrematur Hugonotarum
 Fanum, scamnisque ac subselliis in cu-
 mulum congestis, incensisque paren-
 tatur Martino per ludibrium, ac ser-
 pente incendio vicinæ Sectariorum do-
 mus in cineres rediguntur, demum
 æstuantibus animis obvii trucidantur:
 Hugonotæ in ædibus delitescunt, fu-
 giunt alii, in carceres conjiciuntur non
 pauci, ac denique res ad promiscuam
 cædem & lanienam spectasset, nisi Ma-
 gistratus auctoritate, & pœnarum com-
 minatione aliquantulum defervescens
 petulantia fuisset sopita: Re comperta
 Ludovicus Rex, cum rebellionem, non
 vero Hugonotas odio haberet, mox
 Malevillium ad Turones ablegat, libera
 in reos inquirendi facultate data. Hic
 igitur cognita caussa Sectarios in car-
 cerem conjectos liberari, reos vero in
 vincula conjici jubet: instruuntur ju-
 dicii acta, nilque propius erat, quam
 capitalis sententia in noxios: inde ve-
 ro novus exoritur tumultus; concur-
 runt enim captorum uxores, filii, &
 cognatione conjuncti, factoque agmine
 in Prætorium irruunt, effractisque fo-
 ribus reos e carcere liberant: Male-
 villius

Sæc. XVII. villius cum suis ipsemet, bacchantium
 A. C. 1621. furori cedere, Magistratus vero spon-
 dere cogitur, *abolendam esse facti memo-*
riam, captosque liberandos, necnon iudicii
acta concremanda: Hæc pollicitatio mo-
 tum, rabiemque furentis plebeculæ
 coercuit: ne vero Rex privatam Hu-
 gonotarum vexationem criminis impu-
 nitate comprobare videretur, Modæ-
 neum capitalium caussarum Præfectum,
 ut de reis iudicium legibus faceret, ad
 Turones decrevit, ex cuius sententia
 quinque hujus tumultus Authores in
 furcam acti sunt. Ceterum perpensis
 omnibus ejusmodi motibus nemo ultra
 dubitare poterit, amoris conciliatri-
 cem esse Religionum similitudinem,
 dissimilitudinem vero exiltere fœcun-
 dam seditionum Matrem.

§. LXXVII.

Confutatio Hugonotici scripti pro ho-
nestanda rebellionem vulgati

Gramond.
t. 7. p. 367.

Quantumvis Rex edito diplomate pa-
 lam testatus esset, quod arma non
 eo fine capefferet, ut e Regno Hugo-
 noticam sectam eliminaret, sed ut se-
 ditiosos cives compesceret, rebelles
 tamen Hugonotæ, ut seditionis & belli
 in Regem suum conflati calumniam a
 se amolirentur, communi omnibus
 sedi-

feditiosis obtentu, se non Regi, sed in-
vidis, & calumniatoribus suis bellum

Sæc. XVII.
A. C. 1621.

denuntiare, audacter vulgabant, allatis etiam quibusdam feditiosis necessariorum causis, quarum summam supra exposuimus: Ut igitur omnibus ad oculum pateret, quam frivolarum rationum rationes, quibus feditiosos suos motus honestare niterentur, hinc Parisiis pro Rege prodiit apologia, quam huc adducere, haud inconsultum erit, ne fors sinistra opinione ac judicio æquitas causæ, & facti veritas pervertatur: Erat autem hujus apologiæ tenor sequens: Quam falso obtendatur oppressio ab iis, qui privatim degeneres, in publicum exitiosi, nihil spei, nisi per discordias civiles habent, videant exteri Principes, videant populi, quos ipsi in subsidium vocant: Videant falsa oppressionis imagine, ambitione, avaritia, & rerum novarum studio agi. Multa pathetice scripta, plura ab ipsis injuriose congesta in Regem suum, quæ quantacunque sunt, si hoc examine probra esse, & calumnias, plane ostenditur, vertantur in sectam Principum arma, quos ad defensionem ipsa suam prave invocat. Sin vera sunt, quanquam impudenter in regium caput conjecta, armetur una in Regem, & Catholico-

Hist. Eccles. Tom. LVII.

Q „COS

Sæc. XVII. „cos conſpiratione Europa omnis, per
 A. C. 1621. „me licet. „

„Prima objectio eſt ex Sacramento
 „a Rege præſtito ipſo inaugurationis
 „die, cujus hæc ſumma. *Juro regia*
 „*in fide, quos Eccleſia hæreticos dixerit,*
 „*conaturum me, in quantum potero, fini-*
 „*bus regni mei depellere:* Unde vobis Se-
 „ctarii, Eccleſiæ decreto hæreticis exi-
 „lium portendi concluditis? Verba ar-
 „guuntur, adeo factorum innocens eſt
 „Rex, in quem agitis? Adeone Sacra-
 „menti hæc formula nova eſt apud
 „Gallos, ut ignoretur effectu vacuum
 „eſſe ab omni ævo? Nondum Calvi-
 „nus veſter eruperat, & ſic jurabant
 „inaugurandi Reges. Henricus quar-
 „tus, quem pro Deo tutelari accipitis,
 „in primo regni limine eo Sacramento
 „adigitur. Quare ergo qui ſiluiſtis
 „tunc, obſtrepitis hodie Succellori,
 „quem ſcitis ea formula Majorum ſuo-
 „rum religionem imitatum? Adjecta
 „poſtmodum, vobis rogantibus ex-
 „ceptio regulæ, qua declaravit Rex
 „ipſe, eo ſe Sacramento nihil de vobis
 „cogitaſſe, actum id anno milleſimo
 „ſexcentefimo decimo quinto. Quid
 „ultra petitis? „

„At Jeſuitæ plus nimis ſe immiſcent
 „rebus rerumque arbitria affectant, ut
 „publicæ, ut privatæ ſunt? A cri-
 „mine

„mine immunis esse debet, cujus ea Sæc. XVII.
 „libido est, ut alios arguat. Quanta, A. C. 1621.
 „amabo, est apud vos autoritas iis,
 „quos pastores vocatis? infectum est,
 „quodcunque apud vos privatim, quod-
 „cunque publice geritur, nisi id ho-
 „minum genus intervenerit. Jesuitæ
 „Regi admoventur, quia probi sunt.
 „Hinc improborum in ipsos invidia. „
 „At eorum Consiliis Rex prave sua-
 „sus, dum de ruina admonetur, quæ
 „coronæ imminet ex bello in vos mo-
 „vendo, respondit; *animam sibi corona*
 „*potiorem esse?* calumnia est in Regem,
 „neque enim ita respondit unquam. At
 „esto: ita responderit. Revolvite quæso
 „historiam Sectæ vestræ Germanicam.
 „Fridericus Palatinus Comes, cum
 „nuper promerendis sibi penitus Calvi-
 „nitis exegisset Catholicos, finibus
 „principatus sui Religionis causa ex-
 „actos respondit, & quantacunque hinc
 „ruina immineat feudo suo, passurum
 „æquo animo se: quoquo res cadat,
 „minoris momenti jacturam feudi fore,
 „quam animæ: ex quo responso, ap-
 „plausus Sectariorum omnium ingens,
 „maximaque in Palatinum elogia Quam
 „præpolterum est Catholico Principi
 „verti in crimen, quod in Sectario di-
 „gnum ducitis immortalī laude!

Q 2

„Ob-

Sæc. XVII.

A. C. 1621.

„Objicitis, actum vobiscum inju-
 „riose, cum Rupellæ conventus per se
 „licitus, rescripto condemnatus est,
 „perduellesque habiti, quicunque huc
 „convenerant: non ita temere condem-
 „nandos conventus omnes, quos in-
 „dicitis: Henrico Magno placuisse o-
 „lim ut interdum haberentur ex variis
 „caussarum figuris: Quid ab Henrici
 „temporibus exemplum trahitis in
 „hanc ætatem? mutatione Regis mu-
 „tata est indoles vestra! Odistis filium,
 „qui colueratis impensius Patrem. Vix
 „rebus humanis exemptus Henricus,
 „cum de *libera Republica* deliberaſtis in-
 „stituenda in statu regio. Adhuc Patri
 „cor in sanguine palpitabat, cum de
 „bello in Filium infantem movendo
 „cogitaſtis. Nec certe mirum ea co-
 „gitatione distrahi ab officio ſectam,
 „& cui hæreditarium est vagientes in
 „cunis Principes ſuos opprimere vi, aut
 „dolo. Testis Jacobus I. magnæ Bri-
 „tanniæ Rex, quem deceſſores veſtri
 „(quos ille Puritanos appellat) in cu-
 „nis ſuffocare conati ſunt. Ipſo autore
 „utar, qui rogatus, an Puritanus ef-
 „ſet, reſpondit in Apologia ſua, odiſ-
 „ſe ſe Puritanos, a quibus parum abſuiſ-
 „ſe memorat, quin vagiens in cunis perde-
 „retur: ergo odiſtis Reges, non modo
 „quia Catholici ſunt, ſed quia Reges:
 „Odi-

„Odiftis dominia Principum, libidine
 „dominandi. „

Sæc. XVII.

A. C. 1621.

„Facetum est, quod odio vestro exi-
 „mitis Regem, quod bello in ipsum ab-
 „stinere vos dicitis, quod precibus hu-
 „militer deprecamini ipsius iram. Opti-
 „me certe negatis, motum a vobis
 „bellum contra Regem, quia non ad-
 „mittitis Regem. Ecquid, amabo,
 „istud est, quod contra Consilium ejus
 „vulgatis libellos, & Satyras? quid
 „furor iste, qui in Ministros regni su-
 „perbe detonat? quid aliud, quam ca-
 „tulum (quod ajunt) coram Leone
 „plectere? Leonem ista Gallicum pe-
 „tunt, qui mansuetus in hanc diem
 „nunc furere incipit. Una caussa est
 „Regi & ministris regni, neque subdi-
 „torum est curiosius inquirere, quos
 „aut ex quibus caussis Rex consilii sui
 „participes faciat. Movebit risum e-
 „tiam Stoicis Laus importuna, quam
 „vobis ipsis astruitis usque ad nauseam
 „ex cæca obedientia, qua supra regiam
 „potestatem, negatis, in terris ullam
 „esse, unde in Catholicos ampla di-
 „cendi seges, specie contrariæ opinio-
 „nis, qua summo Pontifici jus in Re-
 „ges concedunt. Non est hujus loci
 „dissertatio quæstionis, de qua non
 „convenit inter omnes Catholicos, ne-
 „que hæc vobis credulitas est, quid-

Q 3

„quid

Sæc. XVII., „quid sonent Manifesti vestri hæc verba:
 A. C. 1621., „Notum esse volumus post Deum, Regem
 „venerari nos, & colere, & ita sentire de
 „Regibus, nullam in orbe potestatem esse
 „supra regiam. Supra Regem sunt ta-
 „cita apud vos lege, Synodi provin-
 „ciales, colloquia, circuli, comitia
 „Sectæ generalia: Supra Regem pri-
 „vatæ cuique res, quibus augendis
 „quoquo modo incumbitis. Indicitur
 „Sectæ Conventus pro libidine Sedi-
 „tiosi hominis, cui apud vos autori-
 „tas erit, prohibet Rex, quo jure va-
 „let: quid facti opus, Viri regum ob-
 „servantissimi? *Ite*, inquit lex tacita,
 „sub qua vivitis, *ite percalcatum Regem,*
 „*quo causa vocat.* Convenere Oratores,
 „habentur comitia, Rex solvi mandat:
 „si nulla potestas supra regiam est, quid
 „moras neccitis? Sacro Sigillo obfig-
 „nata est regia charta, quam legitis,
 „jubet secessum, & adhuc una statis?
 „Nec stare satis, nisi & arma opponitis
 „eidem Regi, quem unum a vobis
 „agnosci profiteremini. Commodati ti-
 „tulo possidetis urbes in Gallia, conces-
 „sas vobis a Regibus Gallis in certum
 „tempus, cessit dies; petit Rex sibi
 „restitui commodatum, negant posses-
 „sores, & litem movent: triste litigii
 „genus, quod per arma transigitur!
 „Bellum Regi denuntiat Secta, Gal-
 „liam

„liam per provincias distribuit præfe-
 „ctis septem, quibus concedit jura belli
 „omnia, qualia Regi debentur, tributa
 „indicit, leges promulgat bello & pace
 „valituras. Hæc est illa fides Regibus
 „debita, cujus promptuarium est Cal-
 „vini Secta, & Fides, quam cælo æ-
 „quant Sectarii, quam columnam Gal-
 „lici status, regique fulcrum diade-
 „matis vocant. Adhuc infida gens
 „credulitatem jactabis, qua te Regi-
 „bus supra Catholicos usque adeo de-
 „vinctam mentiris, ut omnia Regi sub-
 „dita, nihil supra, agnoscas? Probat
 „plenus cæca obediencia, quam pro-
 „fiteris, ex Sacramento nuper Rupel-
 „læ præstito a delegatis tuis in hanc
 „summam: *Juramus observaturos nos,*
 „*executionique mandaturos, quidquid Ru-*
 „*pellana Comitata statuerint, Et si opus est,*
 „*bona, libertates, Et vitam confirmandis*
 „*eorum decretis impensuros, secreta con-*
 „*cilii nec scripto, nec verbo revelaturos.*
 „Non hic opus arte Syllogistica eli-
 „ciendæ ex promissis conclusioni. Ergo
 „Sectariis pro Rege Comitata sunt, qui-
 „bus fidem in obsequium astringunt
 „nulla exceptione. An num eo voca-
 „bulo: *Quicquid, parricidia, regni ex-*
 „*cidium, Regis, Principumque con-*
 „*jurata ruina continebuntur, si vide-*
 „*bitur ita Comitatis? Quid istud est*

Sæc. XVII.

A. C. 1621.

Q 4

„Secta-

Sæc. XVII. „Sectarii, quod, *ubi opus fuerit*, liber-
 A. C. 1621. „tatem, bona, & vitam confirmandis
 „Comitiorum decretis impensuros vos
 „dicitis? Ubinam illud Opus, nisi
 „quando Rex in possessionem urbium
 „suarum redire voluerit? quando pa-
 „storibus vestris negaverit, quam præ-
 „stare solitus pensionem? cum militiæ
 „& togæ officia non distribuerit vestris,
 „pro libidine affectantium? Ultima
 „pars Sacramenti arcano transigitur
 „nunquam revelando: sic isto: vel
 „obsequium & fides Regi debita eo se-
 „creto continentur, vel perduellio? si
 „obsequium, & fides, quare secreta
 „sunt, quæ agnita gratiam omnium
 „promerebuntur? si perduellio, ergo
 „perduelles estis; ergo falsa penitus
 „propositio hæc vestra: *Notum esse vo-*
 „*lunus post Deum, Regem nos venerari*
 „*& colere &c.* „

„At opitulati olim patres vestri
 „Henricis tertio & quarto a Catholica
 „factione oppressis? Rem paucis ex-
 „pedio. Nihil est, quod Henricis al-
 „latam a se opem superbiens efferat
 „secta, quæ eo facto sibi studuit magis
 „quam Regibus. Henrico tertio præsto
 „erant tum, quia prole orbem prævi-
 „debant, in Henricum quartum coro-
 „nam translaturum noverant, tum e-
 „tiam quod Salmuriam arcem ad Li-
 „gerim

gerim munitissimam concedebat Sectæ Sæc. XVII.
 „in pignus datæ fidei: quis miretur A. C. 1621.
 „his conditionibus opitulatos? Henrico
 „quarto militabant, vindicabantque in
 „jura regni alumnum suum, a quo ma-
 „gna Sectæ præsidia fore sperabant ex
 „Calvinismo, quo tum infectus erat.
 „Cesset ergo importuna corvorum cro-
 „citatio, cessent jacta toties in Regem
 „convicia, quibus ingratitude postu-
 „latur, dum se in libertatem asserit
 „contra subditos, jura regni omnia
 „usurpantes. Quin potius ferant se in-
 „gratos viri perditissimi, qui Henrico
 „patri vitam, & illam (cui quotidie
 „Sanguinem immolant) conscientiæ
 „libertatem debentes, filium impensius
 „coluisse debuerant.,

„Tria præcipue objiciuntur Regi:
 „1. restituta in Bearnia Catholicis jura
 „2. Lectora erepta, 3. negatæ duobus
 „e Secta in Parlamento Lutetiano Se-
 „des: his pleraque promiscue astruun-
 „tur, temerati manes, exusta templa,
 „rapti in monasteria infantes, negatæ
 „ministris pensiones &c. Quod ad
 „Bearniam attinet, meminisse debent
 „Sectarii, Regem inter & Bearnenses,
 „de restituendis Romanæ Ecclesiæ bo-
 „nis, quæ ipsorum pastores usurpave-
 „rant, primam fuisse controversiam,
 „conventumque, ea restitui oportere:

Q 5

„ad-

Sæc. XVII. „adjectum caput de Conscientiæ liber-
 A. C. 1621. „tate constituenda in Bearnia, quali
 „fruuntur in Gallia Calvinistæ. Resti-
 „tutio, quam æqua foret, nequidem
 „negaverint, nisi qui privatæ rei affectu
 „a vero desectunt. Constat Episco-
 „porum ab omni ævo fuisse decimas,
 „obventusque Sacros: constat de usur-
 „patione ante *annos quinquaginta* a Se-
 „ctariis inchoata: at continuata illis
 „in hanc diem possessio? Esto, ergone
 „translatum in possessores Dominium?
 „Unde id quæso? non ex lege, quæ
 „*malæ fidei* possessoribus præscriptionem
 „negat: non ex patientia Dominorum;
 „quippe constat sæpius de usurpatione
 „questos Episcopos Bearnenses. Ergo
 „interrupta præscriptione consequens
 „est, ut fateantur Sectarii, jure resti-
 „tutos Episcopos cum omni causa.
 „Quam fuisset iniquum, Sectariis ro-
 „gantibus, penitus arceri Catholicam
 „a Bearnia fidem, quo tempore ipsi,
 „credulitatis suæ liberum exercitium
 „habebant in Gallia? Usque adeone
 „miserum est, esse Catholicum? Sub
 „ea Rex Christianissimus religione vi-
 „vit, & patietur eam opprimi? quæ
 „libertas Calvinistis in Gallia, eadem
 „negabitur Catholicis in Bearnia?
 „Tuum esto judicium qui hæc leges.

„Le.

„Lectoram paucis expedio, quam Sæc. XVII.
 „procurabat Fontaralius jure hæredi- A. C. 1621.
 „tario; quippe patri successerat per
 „Henrici quarti munificentiam arcis
 „possessori: ex Calvinista factus Catho-
 „licus, querelis ansam præbet, quas
 „repetit ad nauseam secta. Responde-
 „tur, Fontaralio patri permissam ab
 „Henrico quarto arcem, non ut Calvi-
 „nistæ, sed ut bellatori acerrimo, ma-
 „gisque virtutis præmium fuisse, quam
 „præsidium sectæ. Eam urbem non esse
 „ex iis, quas matrimonii, quas Secu-
 „ritatis, quas *fidei obsides* vocant, qua-
 „rum possessionem sibi secta arrogat
 „jure proprio, esse privatam possessio-
 „nem: quo patet, motos hinc questus
 „esse futes. Nec certe ita queruntur
 „Catholici, si quando Catholicarum
 „urbium præfecti, fiunt Calvinistæ.
 „Marchio Senevierius, postquam a fide
 „Catholica ad Calvinum diverterat,
 „quam ante regebat Castilloniam ar-
 „cem retinuit, nemine querente. Ad-
 „dita a Rege in Supplementum, gratia
 „Sectariis obstrepentibus qua Dubium
 „omne sublatum, si quod emerferat:
 „concessa Blainvillio Sectario homini
 „procuratio Lectoræ: Quid ultra que-
 „ritur? „

„At non adscripti Parlamento Lu-
 „tetiano duo e Secta: negatæ Ministris,

„&

Sæc. XVII. „& præfidiario militi stipendiariæ an-
 A. C. 1621. „nonæ, quales de publico præstari so-
 „litæ? Qua lege, amabo, fancitum
 „in Gallia, ut Parlamentis Sectarii in-
 „ferantur: ipsis Parlamentorum exor-
 „diis, una in Gallia religio erat, secta
 „ignorabatur, neque prodiit, nisi post
 „duo secula ab eorum institutione.
 „Postquam adoleverat Calvini error,
 „petiti a Sectariis iudices non suspecti;
 „hinc Camerae, quas Edicti vocant, ubi
 „a suis æquali cum Catholicis numero
 „judicantur: An non satis est exedra
 „bipartita, ut necessum sit etiam pro-
 „fanari Conventus sacros sectaria labe?
 „Iniqua certe petitio, cui factum satis
 „a Rege optimo per officia novi insti-
 „tuti duo destinata Sectariis. Certe
 „nulla lege cautum est, pastores &
 „militem Sectæ ali de publico: Regiæ
 „liberalitati debitum est, in hanc diem
 „id, quodcunque pensionum, quis si
 „modum imposuit Rex, ideone reus?
 „Pœnitet exhausti per Largitiones im-
 „mensas ærarii, & quia parsimonie
 „sibi legem Rex dixerit, convenietur
 „a vobis velut ex debito? Ergo reus,
 „quia jactare suum desinet? Argute
 „dictum! Nemo ignorat abhinc sexa-
 „ginta annis, non aliis Galliam bellis
 „desolari, quam quibus Sectariorum
 „rebellio causam dedit. Occubuere
 „cen-

„centena Gallorum millia bellis intesti- Sæc. XVII.
 „nis, quæ omnis a secta clades est, A. C. 1621.
 „regiisque impensis alentur vestri Præ-
 „dicantes, quorum contra Regem stu-
 „dia fuerunt semper, nec esse desinunt?
 „ita in caveis feras nutrias, mox de-
 „vorandus? Portentum est ali ex sub-
 „stantia populi, qui populum oppri-
 „munt; portentum ex vectigalibus,
 „prædiis, aut ærario annonam præ-
 „stari perduellibus, qui nomen regium
 „populis exhibent pro simulacro, aut
 „larva. „

„Additum percussos atrociter, &
 „cæcos, qui genuflexionem negave-
 „rant, circumlato per metropolim ur-
 „bem *idolo*. Apage dictum execrabile?
 „Ergo *idolum* est Augustissimum Catho-
 „licæ fidei pignus, quod ante mille &
 „sexcentos annos adorabat Ecclesia,
 „& adorat adhuc latriæ cultu? Ergo
 „Christus *idolum* est? *idolum* sit vobis,
 „apud quos pro nihilo ducitur: nobis
 „Deus, qui in carne sua memoriam
 „sui reliquit in seipso. Non agam hic
 „pathetice, ut vos agitis passim in Ma-
 „nifesto vestro: hic res ipsa, hic loqui-
 „tur ille Deus, quem vos pro *idolo*
 „accipitis. Certe, qui alias politici
 „estis, in politiam peccastis maxime:
 „qualiscunque sit de re sacrosancta a-
 „pud vos credulitas, aut procumbere
 „de-

Sæc. XVII., „deuiffetis in confpectu, aut hinc fa- „tu
A. C. 1621. „ceffere. Ad præfentiam Regis ado- „au
 „rantis, fi obyerfatur adorationi Reli- „ta
 „gio fubditi, loco abfiſtat, aut exhi- „C
 „beat actu externo cultum, qui, fi vo- „in
 „let, differat ab interno: neque enim „ſci
 „adorat, quicumque flectit genu, & re- „an
 „gibus etiam debitus eſt externus iſte „til
 „cultus, quem, fi applicuiſſent Sectarii „tit
 „Ludouico poſt ſacram Euchariftiam „ge
 „eunti, probe illuſerant Zelo Catho- „fit
 „licorum: quandoque ſapientis eſt, e- „de
 „ludere per æquiuoca: plane abſur- „pe
 „dum eſt, quod exercenti actum Reli- „pt
 „gionis ſuæ Regi, opponant ſubditi „vo
 „contrarium actum, quo falſæ credu- „ra
 „litatis arguatur politica hæc Doctrina „lo
 „& Sapientia., „tu
 „be

„At negata mortuis terra, effoſſa „Be
 „cadavera, infantès ab ulnis maternis „A
 „ad monaſteria rapti a Monachis? Hic „pro
 „calumniator, hic fige laſſum pedem. „pro
 „Negata tuis terra, nempe apud Tu- „Se
 „rones, ubi Martini effoſſum cadaver? „ven
 „At debuiffi meminiffe, rudi alapa „Ru
 „percuffum puerum Catholicum, ictu- „fac
 „que ferali pene exanimatum conci- „
 „taſſe in ultionem cum matre foeminas „
 „ejus urbis, & vulgus, quod implaca- „
 „bile eſt, ubi ſemel exarſit. Memi- „
 „neris ſtatim nuntio accepto veniſſe „
 „Regem, quo vocabatur Seditio: expia- „
 „tum

„tum reſte ſcelus: crematos Seditio-
 „autores, magnificaque ultione paren-
 „tatum ab ipſo Rege, vili animæ.
 „Quid quereris pueros tuos Monasteria
 „ingreſſos, qui idem de libertate Con-
 „ſcientiæ oppreſſa piaculum facis? Poſt
 „annos decem, & quinque adoleſcen-
 „tibus in Monasteria ingreſſus permit-
 „titur ex Conſtitutionibus, quas quin-
 „gentis ante ſectam tuam annis admi-
 „ſit Eccleſia. Ea ætate aut liber eſſe
 „debet cuique delectus, aut tollenda
 „penitus conſcientiæ libertas. Ra-
 „ptum vocas, mutandæ in melius vitæ
 „voluntatem enixam? Qua patimur
 „ratione Catholici filios noſtros cucul-
 „lo indui in vitam regularem, eadem,
 „tu Calviniſta, idem patere, aut li-
 „bertatem tolle, quam prædicas? &c. „

Sæc. XVII.
 A. C. 1621.

§. LXXVIII.

*Bellica Ludovici Regis expeditio con-
 tra Hugonotas.*

Antequam Ludovicus Franciæ Rex
 Lutetia Pariſiorum in expeditionem
 progrediretur, ut Principes ab Aula
 profugos ſibi conciliaret, per Favafium
 Sectariorum Legatum Sueſſioni, Ni-
 vernio & Mayenio Ducibus perſcripſit,
 Rupellana comitia mox diſſolutum iri,
 factumque ſatis, quæ ab his peteren-
 tur;

Calmet. l. c.
 Gramond.
 lib. 7.
 Merc. Gal-
 lob. t. 9. l. 2.
 Serres
 Franc. Hiſt.
 pag. 964.

Sæc. XVII. tur; acceptis hisce literis mox hi Prin-
 A.C. 1621. cipes in Aulam reversi sunt, non sine
 magno Sectariorum damno, eo quod
 Regio Principe, quo regerentur, de-
 stituti essent. Tandem contractis qua-
 draginta peditum & octo Equitum mil-
 libus Rex die vigesima nona Aprilis
 Fontis - Bellaqueo Turonium, & inde
 Salmuriam contendit, urbemque &
 arcem, quam Bullionio Authore Rup-
 pellenses intercipere statuerant, Regio
 milite firmat; non sine acerbo Plessiei
 Mornæi Præfecti dolore: ne vero se-
 ctarii, quod querantur, haberent, Rex
 Saulteo Lediguerii Ducis tum adhuc
 Calvinistæ Nepoti Salmuriæ Præfectu-
 ram concessit. Interea Sancti Pauli
 Comes Gergobiam Aurelianensis Pro-
 vincię arcem ad deditioem intimato
 Regis mandato, atque obsidionis com-
 minatione provocat; Bobiero autem,
 qui arci, Sulii nomine, præerat, ar-
 mis arma opponere parato, Aurelia
 advehuntur quatuor belli tormenta,
 & Rotelenio Marchione incassum dedi-
 tionem præsidariis suadente, arx ag-
 geribus oppugnata, tormentis verbe-
 rata, magna que mænium pars mura-
 libus machinis decussa resedit, demum
 ad tantas redacta angustias, ut nil
 propius, quam proxima crederetur de-
 ditio, quam tamen Bobierus aliquam-
 diu

diu remorabatur, facta proximi sub-
 fidii spe; missis enim ad vicinos Cal-
 vinistas literis horum opem implora-
 bat, nec irrita conatu; quippe hi mox
 ductore Vatevillio subsidiarium destina-
 runt militem, quo comperto Regii, ut
 celeri expugnatione suppetias hostiles
 præverterent, tanto impetu, noctu &
 interdiu arcem quatiunt, ut præsidia-
 rii vigiliis, & labori impares in dedi-
 tionem conveniri peterent: eadem ve-
 ro nocte Vatevillius cum recenti mi-
 lite arcem ingressus, deditioem fieri
 prohibet, Bobierus vero cum suis fi-
 dem a se datam objicit, demum mu-
 tua horum dissensione arcis deditio
 maturatur: igitur Comes arce poti-
 tus, Sylvæ nigræ, ubi Sectarii con-
 venerant, meatibus interclusis Ray-
 naldi castrum occupavit: Condæus
 vero Sacro - Cæsaream urbem expu-
 gnare iussus, cives primo minis de op-
 pido ferro flammaque desolando ter-
 rere fategit, postea Vatevillio, in cu-
 jus opem magna erat præsidiariorum
 fiducia, proditioem in caput suum a
 civibus destinatæ metum ingessit, tam
 prospero astus successu, ut castello,
 quod urbem tuetur, occupato Vate-
 villius civium infidias veritus, urbem
 omni bellico apparatu instructissimam
 dederet, pactis huic legibus, ut vita,
 Hist. Eccles. Tom. LVII. R liber-

Sæc. XVII.
 A. C. 1621.

Sæc. XVII. libertas, arma, sarcinæ & impedimen-
 A. C. 1621. ta præfidiario militi sint salva; cives
 vero armis exuti plena conscientiæ li-
 bertate, & bonorum ac jurium inco-
 lumitate gaudeant, impositoque milite
 Regio munimenta solo æquentur.

§. LXXIX.

*Engeriacum a Rege obsessum, ca-
 ptumque.*

*Merc. Gal-
 lob. t. 9. l. 2.
 Meteran.
 Hist. Belg.
 l. 41.
 Theatr. Eu-
 rop. p. 680.
 Lotich. rer.
 Germ. cap. 2.
 p. 294.*

Parta hac victoria eo magis grata,
 quo minus cruenta, Rex promotis
 ultra Ligerim castris Condæo, ceteris-
 que Belliducibus sibi fidis negotium
 dabat, ut Biturigum, Aurelianensium,
 Picardiæ, Normaniæ & Campaniæ
 Sectarios, qui in hisce Provinciis Regi
 resistere audebant, armis exuerent:
 sub idem tempus Lesdiguerius inter
 Sectarios olim primus non modo Sectæ
 causam, sed ipsos etiam errores eju-
 rabat: quo factò quantum sectæ dece-
 sit, tantum Regis gloriæ accessit, Lu-
 dovici clementia & fortuna, etiam e-
 læsæ Majestatis detrimento, Majesta-
 tem augente. Die ergo decima tertia
 Maij Rex Thoarsium venit, quæ arx
 utpote armis & milite instructa, non-
 nisi diuturna obsidione subigi potuis-
 set, nisi Tremolius, cui arcis custodia
 erat commissa, abdicata Sectæ causa
 ibi-

ibidem in Regis obsequium reversus, Sæc. XVII.
A. C. 1621.
 ejus imperio arcem subjecisset: tum
 demum ad bellici apparatus famam
 circumjecta Sectariorum oppida, &
 præcipue Bucharta, Maxantum, Ma-
 leacum, Fonteniacum, Colongium,
 Maranum, & Niortum, celebres Pi-
 ctaviensis Provinciæ urbes Hugonotis
 antea in securitatem commissæ in Re-
 gis gratiam ultronea deditioe reverti
 certabant, non pauci tamen ex Secta-
 riis in seditione obfirmati partim in An-
 gliam, partim Hollandiam, Genevam
 aut Sedanum profugere; Prædicantes
 vero Regem accedentes, prolixa ora-
 tione supplicabant, ut in deditis hisce
 urbibus, conscientia libertatem per-
 mittere vellet, quibus Rex respondit,
eam nullibi prohibitam, nec posthac prohi-
bendam esse. Inde continuato victoria-
 rum cursu Rex Chisagum contendit,
 Engeriacum, alias *oppidum S. Angeli*
 dictum, expugnaturus, eo quod cives a
 Ruppellensibus animati, ac valido mi-
 lite prædiario aucti, non quidem Regi,
 sed ut videri gestiebant, invidis ejus
 Ministris sese opponere decrevissent:
 Insuper Rohanæus Princeps solo cir-
 cumjecto copias instruxit, subsidiario
 militi intromittendo opportunas, si
 longa obsidione prædiarii frangeren-
 tur: Pariter Subisius Rohanæi Fra-
 ter

Sæc. XVII. ter urbis tuendæ curam suscepit, ac
A. C. 1621. cunctos, qui arma ferre nollent vel non
 possent, urbe egressis, præfidiarii mi-
 litis duo millia, civium totidem præ-
 ter ducentos circiter Nobiles recensuit.
 Die igitur vigesima septima Maij Rex
 Auriaco obsidendæ urbis negotium de-
 dit. Hic vero capta S. Juliani urbe,
 Mothæ suburbium armata vi invadit,
 illudque diu multumque tormentis con-
 tinerenter displofis concutit: nec segnio-
 res obsessi magna clade in Regios, ex
 duobus propugnaculis detonant ac ir-
 rumpentium ardorem multiplici morte
 plectunt, donec cominus pugnatum,
 ac transcensis hostium aggeribus sub-
 urbium tandem expugnatum esset, re-
 cedentibus clam præfidiariis, qui prius
 tamen pomærium, necnon Alnixii &
 S. Eutropii suburbia subjectis facibus,
 adjectisque paleis & sulphure concre-
 marunt. Sistebat urbis ipsius expugna-
 tionem, Talliaburgi suburbium, quod
 Crequius Prætorianæ cohortis Præ-
 fectus, qua parte tenuis præterfluit
 alveus, vi expugnari posse censebat:
 citeriori igitur ripæ admoventur belli
 tormenta, quibus hostium valla dis-
 ji iuntur, quassatoque omni trans ri-
 pam munimine Regii flumen transeunt,
 atque ab hostium globis inulti traji-
 ciuntur non pauci: postquam vero co-
 minus

minus pugnari cæptum, cruentum Sæc. XVII.
 committitur prælium, Regiis retro- A. C. 1621.
 cedere compulsis; opportune autem
 reparandæ injuriæ accurrit Regiis No-
 bilitum manus. Hi primi periculum
 fubeunt, dumque strenue dimicant,
 puduit militem gregarium non audere
 ex officii jure, quod viderent a volun-
 tariæ militiæ Principibus tolerari, un-
 de junctis viribus acrius quam ante
 pugnam redintegrant, utque appare-
 ret, in rebus desperatis solum etiam
 animum ceteris amissis cuncta repa-
 rare, toto impetu in hostes irruunt,
 demum perruptis haud ægre aggeribus
 recens ab hoste erectis, hostiles pha-
 langes ad valla propellunt, inde vero
 itidem rebelles dejiciunt, ac cominus
 cum hoste pugnant, ancipiti diu Marte,
 donec penes regios ingruente jam nocte
 victoriæ summa staret. Tam acri, diu-
 turnoque conflictu ex præsidiariis lon-
 ge plures victoribus cecidere, ex Re-
 giæ vero Nobilitate Maureveus, &
 Buscoverdunus desiderati sunt. Capto
 hoc suburbio facilior in urbem aditus
 pandebat, priusquam vero productis
 fossis propius admoverentur belli tor-
 menta, obsessi die trigesima Maij tan-
 to impetu in regios erumpunt, ut eos
 pene castris suis expulissent, nisi San-
 lucanus, Vir strenuus, lecto raptim

Sæc. XVII. Nobilium agmine præfidiarios repulsi-
 A. C. 1621. fet. Postera die Rex pro impetrando
 felici expeditionis successu ad Sacram
 accessit Synaxin, tanta pietate, ut ad
 hujus exempli imitationem omnes Au-
 licos accenderet: die autem decima
 tertii Junii, postquam assidua tormen-
 torum explosione Turris & propugna-
 culum quoddam fuerat dirutum, ob-
 fessi inclinante in vesperam die rursus
 erumpunt, & bellica tormenta in fos-
 sas dejicere conati, in armamentarium
 ignem injiciunt, unde ex pulvere py-
 rio strages in castris Regiis erat maxi-
 ma. Solis æstivi caloribus immodicis,
 infesta acciderat obsidio in longius pro-
 tracta: unde Rex misso ad Rohanzæum
 & Subisium feciali urbem dedi jubet,
 id vero sibi haud integrum esse, respon-
 dente utroque, majori adhuc impetu
 urbs quatitur: multum desudatur in a-
 perendis specubus subterraneis, tan-
 dem vero suffoso clam cuniculo pyrii
 pulveris vi Tenaculam validum pro-
 pugnaculum ingenti hostium strage fun-
 ditus dejicitur: irrumpentibus autem
 ad ruinam Regiis obsistunt præfidiarii,
 quorum virtute repulsi, cæsique fuere
 non pauci, atque inter eos Lavardinus,
 & Baro Crius, ac Stirorsius, nec vi-
 lia, nec illacrimata suis capita. Cru-
 dele tum erat spectaculum missilium ab
 hoste

hoſte ignium, quibus univerſa Regio- Sæc. XVII.
 rum caſtra continenti incendio con- A. C. 1621.
 flagrare videbantur, funeſti audiebantur
 tam igne quam ferro pereuntium gemitus, partim flammis correpti horrendo mortis genere conflagrant, partim ex alto præcipites, capite illiſo comminuuntur. Erumpunt denuo decima ſexta Junii die præſidarii, qui tamen non ſine magna ſuorum clade ſtrenue repulſi ſunt: Cecidere etiam Altifontanus & Novilocius Viri authoritate & conſilio potentes, quorum cædes ingens obſeſſis jactura extitit. Demum die vigefima ſecunda Junii Subiſius, cum Regias copias adducto Esperonii Ducis exercitu auctas, præſidarios vero ſuos continuis impreſſionibus & vigiliis fractos, atque annonæ penuria preſſos cerneret, ex urbe Mommartinum ad Luynæum non ita pridem Commeſtabilis dignitate honoratum una cum literis emiſit, pollicitus, quod ſi Rohanæus ejus Frater intra quadriduum non reſpondiſſet, urbem Regi traditurus eſſet: Aſt eidem a Rege reſponſum, niſi poſtridie deditio- nem faceret, desperatam fore oppidanis & militi ſalutem, neque poſtea audiendos. Percepto hoc reſponſo Subiſius die vigefima ſexta Junii habito cum Regiſ colloquio in hæc capita tranſegit. I.

R 4

Rex

Sæc. XVII. Rex omnes & singulos in urbe habitantes in gratiam reciperet. II. Ipsi contra ab armis abstinere, nec ea adversus Regem unquam arripere, III. Conscientiarum libertatem cives retinerent, & bonis suis omnibus, ut ante, fruerentur. IV. Discedere inde, & in alium commigrare locum volentibus, cum bona Regis gratia id facere liceret. V. Reliqua Rex pro arbitrio suo disponderet. His pactis utrinque firmatis Rex Subisium, dum flexis genibus veniam exorabat, in gratiam recepit, motisque castris die trigesima Junii Pontium urbem, Lediguerii, qui auctoritate apud hosce Sectarios plurimum valebat, opera in obsequium reduxit, in rebellionis poenam disjectis oppidi mœnibus, & munimentis.

§. LXXX.

Sacerdotes Catholici & Clerici a Rupellenfibus urbe ejeti.

Serves Franc. Hist. pag. 966.
Calmet Hist. Univers. l. 151. pag. 296.
 Regiæ expeditionis felicitate terris Calvinitarum non pauci, deditis urbibus suis ad oblatam Regis cum libertate religionis suæ gratiam recurrebant, sectariorum foederi nuntium mittentes: Rupellenfes vero excusso debiti obsequii jugo indies in deterius

rue.

Sæc. XVII. reposuit Prætor, *vobis ipsis, ego vobis*
A. C. 1621. *ultra præsto esse nequeo.* Vix tristes do-
 mum redierant, cum illico Prætor eis
 nuntiaret, parata esse navigia, quæ
 quantocius conscenderent. Dum in-
 ter inhumanos hosce Calvinistas omni
 subsidio mortali destituti, quid agen-
 dum, deliberarent, confestim superve-
 nit ipsemet Prætor quadraginta circi-
 ter armatis stipatus, qui clausis Templi
 foribus, acceptisque monasterii clavi-
 bus hos Sacerdotes, ceterosque Cle-
 ricos navi impositos urbem eduxit, in
 hoc vel maxime gaudentes, quod nul-
 la alia ex culpa, quam quod Catholici
 essent, Calviniani furoris victima ce-
 cidissent.

§. LXXXI.

*Calvinistarum crudelitas in Ca-
tholicos.*

Gramond.
l. 7. p. 381.

Majore adhuc furore Calvinistæ in
 Gallia Narbonensi, & apud Ce-
 bennos in Catholicos & Ecclesiæ Sa-
 cerdotes sæviebant: Præprimis om-
 nem vim ac violentiam exerunt in Dei
 Ministros, quorum sacrilega manu Tem-
 pla & Altaria destruebant: Crescente
 eorum petulantia vestibus omnibus nu-
 dantur Monachi, flagellis cæduntur,
 temeratur Monialium pudicitia, Mo-
 naste-

nasteria, sacrarumque Reliquiarum Sæc. XVII.
 tumbæ, & thecæ auro gemmisque or- A. C. 1621.
 natae diripiuntur, imo ipsæ etiam Aræ,
 in quibus Deus Eucharisticus quotidie
 offerebatur, in equorum præsepia con-
 vertuntur, distribuiturque avena ju-
 mentis, ac sacratæ hostiæ pedibus con-
 culcatæ in pabulum brutis animanti-
 bus projiciuntur, denique quodcun-
 que impietatis in Deum, quodcunque
 crudelitatis genus in Sacerdotes & Ca-
 tholicos insana eorum rabies excogitare
 poterat, Monspeffulani, Nemaufenses,
 & Cebenni Calvinistæ in opus dedu-
 cebant: Nec Catholicorum oppressione
 satiata erat eorum sævitia; quippe in
 ipsos etiam Sectarios quandoque &
 crudelius adhuc tumultuabantur, si
 qui Ludovicum pro Rege suo agnosce-
 rent: quapropter omni data occasione
 Regios etiam Ministros plusquam bar-
 bara immanitate insectabantur, ceteros
 autem furore ac petulantia superarunt
 Monpeffulani, qui Castillioneum loci
 Episcopum, omnesque Catholicos,
 quos sibi minus fidos credebant, urbe
 expulerunt. Mittebatur a Rege Mons-
 peffulanum pacandis dissidiis Crossius
 Gratianopolitani Senatus Præses, qui,
 cum rebelles oppidanos ad Regis ob-
 sequium revocare conaretur, præpri-
 mis cum Rohanæo Præfecto agere
 con-

Sæc. XVII. constituit, eo autem adversam valetu-
A. C. 1621. dinem obtendente, Crossius interim
 ex civibus præcipuos ad exorandam
 Regis clementiam inclinabat, quo com-
 perto Suffrenius ex Prædicantibus u-
 nus, vir seditiosus, scelestus & ad om-
 nia nefanda promptus, ex fæce populi
 audacissimos, quos Monpessulani Ca-
 charinotas vocitant, convocat, atque
 auctorandæ seditioni, quam adorna-
 bat, Rohanæi consensum falso obten-
 dens, ad eos ita effatur: *ingens Eccle-
 siæ beneficium præstabis, si Crossium tru-
 cidaveritis; hic Magistratus auctoritate ab-
 usus, Religionem nostram, cui ipsemet ad-
 dictus est, in Papistarum favorem oppri-
 mere tentat; Proditor est, cujus venenum,
 quo occultius, eo præsentius est: Perda-
 tur ergo in obsequium fidei nostræ hic Præ-
 varicator, qui duabus sellis sedere adlabo-
 rat.* Hæc ita prolocutus vir nequam,
 qui se cruenti consilii Auctorem obtu-
 lerat, commoto vulgo etiam exequenti-
 do sceleri ducem sese exhibuit: incli-
 nata igitur in vesperam die subito in
 Crossii ædes cum suis irrumpit, in li-
 mine tamen sceleris enormitate terri-
 tus, primum hæerere, ac tergiversari,
 & quamquam flagitiosus esset, horrore
 facti pavescere cæpit, donec vulgus
 necem ab eo imperatam violato gen-
 tium jure executioni dedisset. Nequi-
 dem

dem innoxii cruoris effusione con- Sæc. XVII.
 tenti erant Sicarii, sed insuper etiam A. C. 1621.
 Crossii Præsidis, ac Regii Legati fa-
 mulos insectantur, diripiunt ædes in
 sanguine natantes, & omnia sus de-
 que vertunt: Dilabuntur per tenebras
 famulorum nonnulli, atque inter eos
 Triclinii Magister, cum autem tumul-
 tuantium manus effugere desperaret,
 incerto saltu certissimum declinaturus
 interitum, se in ima præcipitem e fe-
 neltra agit, sed femore colliso in ter-
 ram prostratus ex mortis formidine
 mortem ante mortem subit. Tandem
 præda & sanguine satiata erat furen-
 tium Calvinistarum crudelitas. Per-
 cepto autem seditionis motæ tumultu
 Rohanæus sicarios in vincula conjici,
 ac postridie tres ceteris truculentiores
 in furcam agi iussit, Suffreinio Prædi-
 cante, qui sceleris auctor sublimius
 ceteris patibulum promeritus esset, fu-
 ga dilapso.

Barbara crudelitas, qua Calvi-
 nistæ Catholicos latrociniis, direptioni-
 bus, incendiis, ac cædibus nullo æta-
 tis, sexus ac conditionis discrimine
 habito in variis urbibus insectabantur,
 vix inter Ethnicos exercebatur, inter
 Christianos nunquam audita. Hæc-
 cine est illa mansuetudo Evangelica?
 Num hic speciosus Sectariorum fervor
 erga

Sæc. XVII. erga Religionem suam, & conscientia
 A. C. 1621. libertatem, quorum rabiem duntaxat
 declinare dabatur, si Catholica Eccle-
 sia, Babylonica meretrix: si Papa,
 Antichristus, & Rex, sectæ Tyrannus
 vocaretur. Num tam inhumanam sæ-
 vitiam a Christi, & Apostolorum exem-
 plo, num ab Evangelii purioris doctri-
 na, vel potius a sanguinario Calvinii
 furore didicerunt?

§. LXXXII.

Cleriacum a Rege expugnatum.

Gramond.
l. 9. p. 433.
Theatr. Eu-
rop. p. 680.

Occupato Engeriaco Ludovicus XIII.
 Gensacum, Bergeracum, San-
 Foium, & Monhurtium victricibus suis
 armis subiecit: misso dein Mayenii
 Ductore, ad Cleriacum urbem exer-
 citu, urbem hanc arcta obsidione cin-
 xit, præfidiariis strenue sese defenden-
 tibus, qui etiam sæpe in Regios eru-
 pere, sæpius etiam repulsi. Protra-
 hebatur in longiores moras obsidio,
 neque sperari potuisset deditio, nisi in-
 ter cives discordia enata fuisset, qua
 comperta Santorius urbis Præfectus
 fatius fore ratus, urbem ultronea de-
 ditione ab excidio liberari, quam ci-
 vium dissensionibus dividi; misso ad
 Regis castra tubicine, pactis con-
 ditionibus oppidum tradere statuit, Rege
 autem

autem legem a subditis acceptare in- Sæc. XVII.
 fueto, totos se ejus clementiæ com- A. C. 1621.
 mittere, cives jubebantur, qui etiam
 quemdam Prædicantem, qui pœnam
 humillime deprecaretur, in castra præ-
 mittebant. Hic vero ita exorsus est:
 „Rex! Ecce genibus tuis advolutos
 „tuæ urbis rebelles, quos seditionis
 „torrens vana Religionis imagine in
 „præcipitium egit, quos væsanus fu-
 „ror in Regem suum armaverat, ad-
 „sunt subituri, quam dixeris pœnam:
 „qui non potes, nisi nostro omnium
 „excidio justus esse, abdica Sanctissi-
 „mæ virtutis elogium, nobisque mi-
 „sericors esto: ast & justum esse lice-
 „bit, & clementem simul: neque enim
 „sibi mutuo adversantur virtutes So-
 „roria invicem charitate conjunctæ.
 „Afflictis vitam condonans, clemens
 „simul eris & justus: eris clemens, quia
 „perduellibus dabis, ut vivant: eris
 „justus, quia ipsa vita nobis pro sup-
 „plicio erit, dum rebellionis conscien-
 „tia tortore interno divexabimur: u-
 „num tamen est, quod impetremus,
 „si quid preces enixæ valent, nempe
 „ut fide, & obsequio perduellionem,
 „qua tibi obstitimus, dilui patiare.
 „Pereamus ultoribus ferro & flamma,
 „nisi immane crimen (quo tibi rei su-
 „mus) inconcussa fide pensabimus.”
 Ad

Sæc. XVII.

A. C. 1621. *optime, quod factioni renuntiatis, utinam autem sincere.* Die vigesima quinta Julii Lediguerius urbem ingressus, Regis nomine tam civibus, quam præsidariis vitæ veniam, bonorum indemnitate, & sectæ libertatem indulgit; ut tamen omnium crimen Authorum poena dilueretur, Dionysius Consul, & Farguesius Procurator, necnon ejus Filius ex Prædicantibus unus in furcam acti periere: Poyus vero Medicus, qui jam fune ad collum patibuli scalam conscenderat, vitæ gratiam obtinuit: Urbis tamen mænia & munimenta in seditionis poenam fuere diruta, ac civitati privilegia, quibus abusi erant, adempta.

§. LXXXIII.

Gregorii XV. summi Pontificis epistola gratulatoria ad Ludov. XIII. Franciæ Regem.

*Meteran.
Hist. Belg.
l. 41. p. 351.
Gram. l. c.
p. 441.*

Tot victoriarum fama Romam usque pervolante, Gregorius XV. in primis Pontificatus sui auspiciis ingens inde perceperat gaudium, haud ignarus, quod quamvis Ludovicus Rex non Calvinianæ sectæ, sed duntaxat rebellibus Calvinianis suis subditis bellum intulisset, horum tamen petulantia,

viri-

viribusque accisis ipsum hæresis vene- Sæc. XVII.
 num minus periculose sese diffundere A. C. 1621.
 posset: Eapropter Pontifex Roma die
 decima Julii gloriosos hosce triumphos
 gratulaturus, sequentes ad Regem de-
 dit literas: „Regiæ fortitudinis tuæ
 „præclara facinora, quæ totius orbis
 „Christiani mentem in se convertunt,
 „paternæ nostræ sollicitudinis oculos
 „militaris gloriæ spectaculis, & Trium-
 „phorum spe non mediocriter oblectant:
 „etenim cum hæreticam impietatem
 „alibi conquiescentem, alibi crudeliter
 „dominantem mærentes conspiceremur:
 „nunc exercituum Deo gratias agimus,
 „quod tempestivo ad præliandum tem-
 „pore Majestatem tuam ad Catholicæ
 „religionis dignitatem asserendam ar-
 „maverit. Præclarum regalis militiæ
 „tyrocinium, & Christianissimo Rege
 „dignum! quam ætatem alii deliciis,
 „& lusibus per socordiam, & inscitiam
 „conterunt, tu procerum discordiis
 „componendis, exercitibus ductandis,
 „hæreticorum arcibus oppugnandis
 „gloriose juxta, ac feliciter transigis.
 „Neque enim sine Dei Consilio, in cu-
 „jus regno Reges regnant, credibile
 „est, ineunte adolescentia, te tantum
 „opus, & tam arduum esse aggressam,
 „ut quæ alios pericula & rerum diffi-
 „cultates retardarunt, ea ipsa invictam
Hist. Eccles. Tom. LVII. S ani-

Sæc. XVII. „animi tui magnitudinem incitarint.
 A. C. 1621. „Fruere, charissime Fili, tam præcla-
 „ra fama nominis tui, ac Deum tecum
 „præliantem sequere, ut qui Israeli
 „fulmen & clypeus esse videris, laus
 „Israel, & gloria universæ terræ pro-
 „pediem habearis. Nos quemadmo-
 „dam ex hoc altissimo Apostolicæ di-
 „gnitatis fastigio, quo nos licet viri-
 „bus impares, misereantis Dei dextra
 „deduxit, exercitibus tuis præsentia
 „nimo intersumus, ita & divina ac-
 „curatissimis precibus paramus sub-
 „dia. Tametsi quæ cohortante Pon-
 „tifice, & rogante virtute tua cæpisti,
 „non veremur, quin constanter perfe-
 „cturus sis; patere te tamen nostris
 „cohortationibus inflammari, saltem
 „ut de veræ religionis dignitate solliciti
 „esse, & tuæ gloriæ favere videamur.
 „Multa sane hæctenus debes divinæ
 „beneficiæ, atque ut spes, & vo-
 „tum nostrum est, plura debebis: sed
 „profecto excelsum istud ingenium non
 „humanæ, sed cælestis Sapientiæ præ-
 „ceptis imbutum credi par est: cum se-
 „rio intellexeris regnorum fundamenta
 „uni orthodoxæ fidei veritati inniti,
 „neque enim Domino civitates non cu-
 „stodiente, ullus unquam principatus
 „secure conquiescet. Quam fideliter
 „Regis solium propugnabunt, qui
 „San-

„Sanctos suis templis dejecerunt, Cæ- Sæc. XVII.
 „loque ac numero Beatorum eximere A. C. 1621.
 „tentarunt? Qui instituta majorum,
 „Regum mores, Pontificum scita, Sa-
 „cerdotum Ceremonias impia crudeli-
 „tate condemnant. Hæc Reipublicæ
 „Christianæ turbamenta, & Galliæ
 „dedecora Imperator Regum Deus,
 „gloriosæ isti juventuti tuæ compri-
 „menda, atque extinguenda reserva-
 „vit. Cogita nunc universam Euro-
 „pam, ex tuorum præliorum eventibus
 „suspensam, expectare quam cele-
 „riter oceanum te Duce tantissimi belli
 „impetus naviget, ut quod hæretico-
 „rum perduellium asylum, & propu-
 „gnaculum est, præclarissimum in om-
 „nem posteritatis memoriam ostenda-
 „tur victoriarum tuarum monumen-
 „tum. Scimus te neque formidine,
 „neque inconstantia ab incæpto opere
 „posse revocari: reminiscere tamen
 „principi, religionis causam tuenti,
 „Sanctos ipsos, quorum dignitas vindi-
 „catur, commilitones adfuturos: pro-
 „fecto in his aquis Deum adiutorem
 „invenies, cujus pedibus fluctus in ter-
 „ræ morem obduruerunt, cujus exer-
 „citibus undæ utrinque diviæ, atque
 „in parietum speciem lapidescentes adi-
 „tum præbuerunt. Tunc enim in spem
 „certissimam adducemur, te regno be-

Sæc. XVII. „ne constituto, & domita istic impie-
A. C. 1621. „tate, posse aliquando Orientem, Occi-
 „dentemque Victoriis Gallicis conjun-
 „gere, majorum tuorum gloriam æmu-
 „latum, qui Pontificum cohortationes,
 „non secus ac Dei jussa venerati sunt.
 „Id te hortatur Sanctissimus Ludovi-
 „cus, cujus nomen refers, & actiones
 „imitaris: id gentis tuæ auctores, qui
 „Apostolica autoritate in religione pro-
 „paganda firmissimum Regiæ tuæ do-
 „mus jecere fundamentum. „

„Sequere, charissime Fili, orbis
 „decus, cælestia jussa, effunde iram
 „tuam in gentes, quæ Dominum non
 „noverunt, ut æternæ misericordiæ
 „Thesaurus compares Majestati tuæ,
 „cui Apostolica autoritate amantissime
 „benedicimus. „

Nec his contentus erat Pontifex,
 sed insuper Patrem Dominicum a Jesu
 Maria Carmelitam Excalceatum, in
 quo ob expletum Pragensis victoriæ
 vaticinium prosperæ expeditionis Gal-
 licæ fiduciam reponebat, primo Bru-
 xellas ad Isabellam Belgii Gubernatri-
 cem, ac demum in Franciam ad Lu-
 dovicum XIII. ablegabat (*) petente
 id ipsamet Regina.

§. LXXXIV.

(*) Idem cum pluribus aliis testatur Mete-
 rani Continuator, qui tamen consuetos Secta-
 rius

Sæc. XVII.
A. C. 1621.

§. LXXXIV.

Neraci obsidio.

Interim ineunte Mense Junio Roha-Gramond.
næus Princeps Calvinianæ factioni l. 9. p. 412,
addictus, in inferiorem Aquitaniam
movit, expulsoque Senatu Catholico
Neracum urbem in suas partes per-
traxit. Tum vero Catholicis Senato-
ribus

S 3

rius sales insperlit: Es hat auch der Pabst,
scribit ipse, einen spanischen barfüßer Mönch,
mit Namen Dominicus a Jesu Maria, den man
für gar einen heiligen Mann hielt, in Frank-
reich geschickt, welcher von dem Könige, seiner
Gemahl, und Frau Mutter, den grossen Herrn,
wie auch dem gemeinen Mann unter den Catho-
lichen mit solcher Ehrerbietung, und Reverenz
ist empfangen worden, als wann ein grosser Pro-
phet entstanden, oder Christus selbst aus dem
Himmel gekommen wäre. Dieser hat dem Kö-
nig das Gewissen gerührt, und ihm in Gottes
Namen hart eingebunden, daß er die Keger in
seinem Königreich zum äußersten verfolgen, und
ausreuten müßte, so lieb als ihm seiner Seelen
Seligkeit wäre: Es ist aber derselbe Mönch
eben der gewesen, welchem der Kaiser dieß Zeug-
niß gegeben, daß er mit seinem Gebeth den
treffli-

Sæc. XVII. ribus nil reliquum erat, nisi ut una-
 A. C. 1621. cum Pichono Præsidente ad Mayenium
 Ducem confugerent, horum igitur ca-
 lamitatem misertus Dux, omni, qua
 poterat celeritate Nobiles, militesque
 Regi fidos contraxit, perfidam hanc
 urbem obsessurus. Ut vero civium san-
 guini parceret, seditiosos ad deditio-
 nem

trefflichen Sieg vor Prag erlangt hätte: durch
 welchem auch Ihre Kaiserl. Majestät eine köst-
 liche Krone mit Perlen, nach Rom der Jung-
 frau Maria geschickt hat. Wo dieser Münch
 hinkam, that man ihm beynahе göttliche Ehre
 an: die Leute hielten es für ein sonderbahres
 Glück, wann sie den Segen von ihm empfangen
 konnten. Wer ein Läßplein von seinem Rock
 konnte bekommen, der meynte, er hätte einen
 grossen Schatz. Es war zu Paris ein gemein
 Geschrey, daß wann man ihm schon ein Stück
 von seinem Rock abschnitte, man es des andern
 Tages an d. inselben nicht spüre, sondern das
 Stück wieder angewachsen wäre. Ein vorneh-
 mer Herr fragte ihn, ob es wahr wäre, daß
 man fast allenthalben ausgabe, daß sein Crucifix
 in der Schlacht vor Prag, wie eine Flamme
 gebraut hätte: aber er wollte hierauf nichts
 antworten, sondern ließ gemelten Herrn im Zwei-
 fel stecken. Die von der Religion hießen ihn
 einen

nem hortabatur, misso ad eos tubicine, quem tamen præfidiarii glande plumbea trajecere. Augebatur justa Mayenii indignatio ex violato gentium

Sæc. XVII.
A. C. 1621.

S 4

jure.

einen Blasbalg, der von dem Pabst in Frankreich wäre gesandt worden, auf daß er das Feuer, welches vorhin in vollen Flammen brannte, noch mehr anblaste, und indem der König seine getreue Unterthanen, zu seinem grossen Schaden und Nachtheil bekriegte, die spanische in Beltlin ihres Gefallens herrschen, und alles unter ihren Gewalt bringen möchte. Von Paris kam dieser Mönch nach Cölln, da ein solcher Zulauf gewesen, daß er beynabe nicht konnte fortkommen, und sich mit Gewalt durch das Volk dringen mußte. Etliche andächtige Papisten strichen ihre Pater noster an seine Kleider, andere schnitten ein Stücklein von seiner Kappen, und hielten es für ein grosses Heiligthum. Wer seine Hand küssen konnte, achtet sich so glücklich, als wann er den geküßt hätte, dessen Namen er führte. Man brachte ihm viel Stumme, Taube, Blinde, Lahme, und die mit andern Krankheiten behaft waren: Aber es wollte keine Kraft von ihm ausgehen. Dem Churfürsten von Cölln, der ihn auch mit grosser Ehrerbietung empfing, schenkte er zur Dankbarkeit seinen Wanderstab.

Sæc. XVII. jure. Ergo urbi militem, bellicque
 A. C. 1621. tormenta propius admovet, cum vero
 explorandis cominus hostium muni-
 mentis progreditur, centum circiter
 Equites urbe erumpunt, ex quibus
 unus ceteris audacior nonnullis equo
 protritit Mayenium invadit, eumque
 sclopeto in caput audacius impresso
 ferit, qui tamen insequente eum Duce
 ad suos refugit: ægre periculum illud
 eluctatus Mayenius pecunia largius in
 suos distributa obsidionem toto impetu
 promovet, a qua eum Forcæus, cui
 Aquitanix Præfectura a Rupellensibus
 erat commissa, abducere tentabat,
 collecto milite ad Aquitanos properans;
 Verum Mayenius dolum subodoratus,
 quin obsidione desisteret, adventanti
 hosti occurrit: Spe sua deceptus For-
 cæus, ut Neracum obsidione liberaret,
 Calmontium urbem intercipere consti-
 tuit: rem exequitur Marchio ejus Fi-
 lius: excubabant sine perfidiæ meta
 Catholici permixti Calvinistis, quos
 inter ob diuturnum consortium nullus
 ex Religionis discrimine erat perfidiæ
 timor: Ast tum primum hæreticis nul-
 lam esse fidem experiebatur Esturvil-
 lius arcis Præfectus; corrupto enim
 per Forcæum quodam cive Calviniano
 tum ad urbis portam excubante, Cal-
 vinistæ infantis ad Baptismum depor-
 tandi

tandi solemnitatem subdole simulant, Sæc. XVII.
A. C. 1621.
 atque ad eandem Esturvillium, ut comitari dignaretur, officiose invitant.
 Hic incautius ex arce in urbem descendit: mox vero Forcæus subingressus obvios quosque detinet, ne quis hostis adventum nuntiare posset: Vix Esturvillius dolum suspicatus, in arcem redierat, cum jamjam Calviniani milites, quos Forcæus adduxerat, in urbem irrumpunt, in qua, cum sectarios cum Catholicis immixtos esse ignorarent, ex Calvinianis potissimos trucidant, Catholicis in arcem confugientibus; intercepta urbe Forcæus sperabat, Mayenium, ut urbem recuperaret, abs dubio Neracensem obsidionem soluturum: ast denuo sua eum fefellit opinio; quippe Mayenius obsidionis cura Vigniolio relicta, quingentos Equites Calmontium adducit, junctoque Nobilium agmine, necnon suppetiis pro Neracensi obsidione destinatis Calmontios obsidet, urget, & continua tormentorum displotione muros magna parte nudat: Instat cum suis Equitibus Forcæus, obsessis opem laturus: provide autem Mayenius, ne hostis animum trajiceret, omnia subduxit navigia, vadaque fractis in abruptum castris interclusit: Horum ignari erant obsessi: Mayenius vero cum hoste congredi paratus,

Sæc. XVII. ratus, cunctos obequitat Ordines, at-
A. C. 1621. que ad excitandos animos causam
 Dei omnibus: avitæ gloriæ memoriam
 Nobilibus, & militi prædæ spem pro-
 ponit; ipse vero ceteris primus in ho-
 stium aggeres irruit, sequitur regius
 miles implendis fossis intentus: qua-
 tuor horis æquo Marte pugnatur, vi-
 ctoria unacum die in hostem inclinante:
 nec tamen defecerat vincendi aviditas
 Mayenio congenita; incitat igitur suo
 exemplo militem, qui novo furore in
 hostem irruit, & ne victus quidem pal-
 mam cedere, fixum in animo habens,
 non prius obfirmatam vincendi ardo-
 rem posuit, donec concubia jam nocte
 munimento suo dejectus hostis in ur-
 bem sese reciperet, ac tandem noctis
 beneficio fuga dilapsus oppidum victo-
 ribus relinqueret; prius tamen, quo
 fato incertum, Calvinianum Templum
 cum ingenti fragore, & repentina plu-
 rimorum strage corruit. Fertur, quod
 Calvinistæ huic ædificio studiose pulve-
 rem pyrium admota resti ignita subje-
 cerint, eo fine, ut Mayenius cum suis
 absdubio Templum pro reddendis Deo
 gratiis ingressurus violenter in aerem
 raperetur: justo autem Dei iudicio
 ignis serpens funiculum opinione citius
 in seditiosorum stragem depascens, pul-
 verem incendit: Ut ut sit, id omnino
 cer-

certum est, quod sectariorum cæsis Sæc. XVII.
 quadringentis, bis mille & ducenti Cal- A. C. 1621.
 viniani pedites in fugam acti munitissi-
 mam urbem victoribus cesserint, resti-
 tuente Catholicis Deo, quod Calvinistæ
 prædabundi furto abstulerant. Ex Re-
 giis nonnisi quinquaginta periere.

§. LXXXV.

Neracum deditione captum.

Cum interea Mayenius in hac expe- Gram. l. 9.
 ditione viginti quatuor horis trans-
 acta distentus, a Neracensi obsidione
 absens esset, obsessi mille ducenti una-
 cum ducentis mulieribus Calvinianis,
 noctu eruptione facta, Regios, vix
 non somno sepultos inopino invadere
 tentabant, & jamjam vallum præter-
 gressi castris imminebant. Illico qui-
 dem Blaniacus, Vir animi magnitudi-
 ne præstans unacum Laterrassio No-
 bili juvene collectis tumultuarie copiis
 hostem aggressus est, obsessi tamen vi-
 ribus longe superiores non sine ingenti
 strage Regios repulerunt: foeminæ e-
 tiam suis hastis, palis & ligonibus cor-
 bitas terra factas, aggeresque distur-
 bant, congestaque humo valla & fos-
 sas replent, necnon belli tormenta,
 prout unicuique vires erant, ad usum
 inepta reddunt, militumque ope castra
 peni-

Sæc. XVII. penitus expugnassent, regiosque ad
A. C. 1621. internecionem delevissent, nisi Sufius,
 Lambertus & Lartiguius composito in
 aciem exercitu hostem, furentiumque
 mulierum turmam repulissent. Red-
 eunte autem ad obsidionem Mayenio
 instauratur oppugnationis ardor, acrius
 quatiuntur urbis mænia, tandemque
 præfidiarius miles civesque Victoris
 Ducis fama, magis quoque adventu
 Regis, quem magnis itineribus advo-
 lare norant, perterriti, urbis ruinam,
 vitæque periculum ultronea deditio-
 ne redimere statuunt: Scribuntur igitur
 die septima Julii hæc leges. I. Urbis
 Præfectura Catholico deferatur. II.
 Mænia & munimenta solo æquentur,
 interim vero urbi ex Regiis octingenti
 præfidiarii imponantur. III. Hunc mi-
 litem cives per quatrimum alant. IV.
 Civibus & præfidiariis vita, libertas,
 & bona pleno jure salva sint. Firma-
 tis utrinque hisce legibus, die octava
 Julii Mayenius ovans urbem ingreditur,
 prohibita militi urbis direptione,
 & concessa civibus sectæ libertate, ne
 quis ultra dubitaret, Regem eo bello
 non Calvinistas, sed Calvinistarum re-
 bellionem castigasse. Sub iisdem fer-
 me legibus Mayenius Castro-Jalusium,
 Montmarfanum, Tartasium, & Medio-
 lanum ad Aquitanos in Regis obse-
 quium

quium reduxit. Ad Ligerim adhuc Regii exercitus cursum sistebat arx, Suillium nomine, Bethunii seu Suillii Ducis uxore & Orvallo ejus Filio adversus Regem pugnantibus, quantumvis ejus Maritus ad Regis obsequium reversus, & Marchio Rosnius non modo factioni, sed & Sectæ nuntium misisset, hicque Ducissam, incassum licet, in deditionem flectere conatus fuisset. Igitur admotis belli tormentis Princeps Condæus, & San - Paulæus Comes primum Ecclesiam a Sectariis valide munitam non sine magna rebellium strage occupant, Trinnium ad flumen usque repellunt, & potissimam eorum partem aut cædunt, aut undis submergunt. Postridie in arcem, cum urbs ipsa in Regis fide perstitisset, impetu facto eam die decima nona Julii ad deditionem compellunt, ea lege, ut cives & præsidarii abjurata factione Regi fidem sacramento obstringant. Hic denique seditionis Calvinianæ ad Ligerim & Sequanam motæ exitus erat.

§. LXXXVI.

*Regis consilium de Ruppellensi
obsidione.*

Tot Provinciarum, urbiumque ja-
ctura intimo dolore laniebat Rup-
pellen-

Sæc. XVII.

A. C. 1621.

ms. 2027
- 212. 213
P. 1. 210
- 202. 209

Sæc. XVII.
A. C. 1621.

*Franc. in-
vent. Gra-
mond. l. 9,
pag. 422.*

pellenses Calvinistas, qui in sua rebel-
lione longe pertinacissimi, ut Regiis
copiis omnem pabulandi copiam ea ex
parte demerent, uberrimam illius an-
ni messem ferro flammaque in vicinis
agris destruxerunt; demum instructa
classe Ruppella exeunte Mense Julio
solventes, in Pictonum Provinciam ex-
scensionem faciunt, pagisque mari ad-
jacentibus foede devastatis, Ecclesias
diripiunt, Sacerdotes rem divinam ce-
lebrantes jugulant, campanas pro li-
quandis belli tormentis auferunt, ac
denique in Catholicos tam inhumana
crudelitate desæviunt, ut non jam in
Christianos, sed barbaros infideles bel-
lum gerere crederentur: Infaustam ho-
rum sortem misertus Rex, Ellebovio,
Parslinio, & Rupifocaldio Ductoribus, si-
gna in perduelles conferri jubet: nec
inde territi Calvinistæ, ex munimento
tumultuarie constructo in Regios ir-
rumpunt, initoque prælio strenue di-
micant, tandem vero a Regiis devicti
auffugiunt: unacum Richardeto Rup-
pellensis cohortis Præfecto, qui dum
in Ecclesiam sese proriperet, in limine
ipsius Templi, in quo Christi cruci af-
fixi imaginem sclopeti ictu paulo ante
transfoderat, a Regio milite trucidatus est. Ut vero Rex deinceps Rup-
pellensium audaciam, eorumque fero-
citate

citatem terra marique penitus refræ-
naret, ad Britanniaë & Normanicaë li-
tora classi quantocius instruendæ Gui-
sium destinat, ut horum Piratarum in-
festas excursiones inhiheret, ac exte-
ram opem Rupellensibus intercluderet:
Espernonio autem Duci datum est ne-
gotium, ut ad continentem cum quin-
que peditum millibus & sexcen-
tis Equitibus commercia cum vici-
nis Provinciis prohiberet, urbesque
circumpositas æstiva messe spoliaret,
ac rebelles per inediaam domaret.
Rex vero eodem Mense Coniaco Cutra-
cum, & inde die decima septima Au-
gusti Montalbanum venit, hanc urbem
expugnaturus, ut eo expeditior esset
Rupellæ obsidio, cui jamjam assiduis
velitationibus ac præliis vario Marte
commissis, multisque Calvinistarum
urbibus, qua vi, qua deditioe captis
præludebatur.

§. LXXXVII.

*Variaë urbes Montalbano vicinaë a
Mayenio Duce occupataë.*

Jamjam Mayenius Dux cum suis copiis
Montalbanum versus processerat,
condictoque pretio Mansum - Verdu-
num urbem, Insulam - Jordanis, & Ca-
steram arcem nullo negotio occupabat:

Adeo

Sæc. XVII.

A. C. 1621.

1621
1621
1621

Sæc. XVII. Adeo per ea tempora venalis erat Se-
 A. C. 1621.

Lotich. rer.
Germ.
 p. 294.

ctariorum fides, ut validissimas arces,
 quas Mayenius armorum vi fors nun-
 quam expugnasset, per Præfectorum
 avaritiam veluti in transitu subjiceret.
 Postea dejectis harum urbium muris,
 & propugnaculis Mayenius in Corba-
 rium non procul Montalbano situm
 signa convertit, quæ tamen urbs æque
 ac Calciata, Cadelhacum, Figeacum
 & Uxellodunum vix audito Mayenii
 nomine deditioem fecere: Tantum
 valet in Bello vulgata strenui Bellidu-
 cis fama: Prosperam hucusque Regii
 militis expeditionem morabatur ferox
 Albiatini præsidii pertinacia: vix enim
 Mayenius tormenta bellica urbi admo-
 verat, cum illico Petræus oppidi Gu-
 bernator cum suis erumpens, Regios
 toto impetu obruere festinaret: Atrox
 utrinque, ac diu anceps prælium, do-
 nec tandem Regii novis suppetiis ausi
 & aperta muri ruina in urbem irrunpe-
 rent, ac præfidiarios unacum Petræo
 Præfecto ad arcem sese recipere coge-
 rent: Hic quoque altera die habendo
 colloquio inducias petit, quibus ob-
 tentis, vitam, sectæque libertatem
 sibi, suisque concedi postulat: cui ta-
 men Mayenius respondit, haud aliam
 deditioem legem fore, quam Regi ar-
 bitrium: accepto hoc responso obsessi
 redin-

redintegratis viribus urbem tueri, ac ^{Sæc. XVII.}
 potius mortem oppetere, quam se Regi ^{Sæc. 1621.}
 dedere decernunt: ast tumultuarius
 hic ardor brevi deferbuit, cum inca-
 lescente Regionum virtute extrema vis
 urbi immineret, ac victor miles armata
 manu mænia transcenderet: urbe igi-
 tur capta Mayenius in violatæ fidei
 vindictam Petræum, & oppidi Magi-
 stratum in furcâ agi, reliquos vero
 in captivitatem abduci, urbemque flam-
 ma ferroque vastatam victoris militis
 deprædationibus relinqui præcepit. In-
 de Burniquellum versus castra movit,
 eaque urbe in deditionem accepta, to-
 taque Aquitania ad Regis obsequium
 redacta in Cadurcorum Provinciam
 contendit, & S Antonini oppidum ob-
 sidione cingere parat: Verum per in-
 festam obsessorum pertinaciam, expe-
 ditam Montalbani expugnationem re-
 tardari ratus, obsidionem solvit, sinistro
 prorsus consilio, uti ex frustrata Mont-
 albeni expeditione patebit.

§. LXXXVIII.

*Montmorantii Ducis in Septimanos,
 & Espernonii in Rupellenses
 expeditio.*

Interim Rohanæus sectariæ partis Prin- ^{Gramond.}
 ceps ut proximam Rupellæ obli- ^{Hist. Gall.}
^{Hist. Eccles. Tom. LVII.} T ^{lib. 9.} dio-

Sæc. XVII. dionem propulsaret, nil intentatum,
 A. C. 1621. inausumque relinquebat, ac præprimis
 unacum Orvallo Comite in Galliam
Serres Hist. Narbonensem penetrans, Cebennos ad
Hist. Franc. suas partes pertrahere nitebatur, rin-
Daniel Hist. gente Castellonio Duce, qui se infcio
du France inferiorem Septimaniam sibi a Rupel-
tom, 10. lensibus commissam a Rohanæo fuisse
 invasam, iniquo ferebat animo: Hanc
 utriusque Ducis dissensionem brevi al-
 lius sequebatur eventus Calvinianæ
 sectæ haud parum infestus; quippe in-
 eunte Mense Augusto Batavi ex Am-
 stelodamensi portu pro Narbonensis
 Galliæ Sectariis navem belli tormentis,
 sclopis, omnisque generis armis onu-
 stam procurante Castellonio advecta-
 bant, ad Fossas Marianas appulsuram;
 cum vero Nauclerus trepide Agaten-
 sem oram legeret, neque tamen, cu-
 jus nominis aut terrarum hæc esset,
 pro comperto haberet, sese obvii cu-
 jusdam Piscatoris fidei incautius com-
 misit. Hic se sectæ socium ac Castil-
 lonii subditum fingens, navem ad Ce-
 ticam arcem conduxit, cujus Præfe-
 ctus Espinautus Regi fidus erat: Hic
 autem de navis appulsu a Piscatore ad-
 monitus, Nauclerum lauto convivio
 excepit, & militibus pariter ad epu-
 las evocatis ceteros in navis præsidium
 relictos multo vino obruit, demum
 vero

vero nemine obfistente, moxque in ^{Sæc. XVII.} opem accurrente Montmorantio navem ^{A. C. 1621.} captis omnibus militibus occupat, non sine ingenti Sectariorum damno: Hac bellici apparatus præda in Regias & Catholicas urbes, prout cuique opus, distributa, Montmorantius Monspellii & Nemausii agros devastaverat, ac Margaritam urbem admotis scalis superans, continuato victoriarum cursu Septimaniam & Aquitaniam Regi suo restituerat. Supererat adhuc in Alnifiana ditioe Rupellensis urbs, quam Espernonius crebris terra marique incursionibus laceffiverat: oppidanis vicissim extrema tentantibus; unde nulla fere dies præterfluebat sine prælio aut velitatione, nec æqua semper fortuna, cum modo Regii, modo Rupellani victores essent.

§. LXXXIX.

*Castillonius Dux a Sectariis proscri-
ptus.*

Jam ante biennium Castillonius Dux *Gramond.* ex illustri Caligniorum prosapia or- ^{l. c.} tus rebellionis nuntium miserat, brevi tamen ad vomitum reversus, a Sectariis Septimaniæ inferioris Præfectura decorabatur, cumque plurimum gratia & auctoritate apud Batavos valeret,

T 2

Narbo-

Sæc. XVII. Narbonenses Calvinistæ eidem negotium
A. C. 1621. dabant, ut suppeditatis in id pecuniis
 Amstelodami omnis generis arma coe-
 meret: postquam vero, uti memora-
 vimus, Batava navis Naucleri incuria
 in prædam Regiis cesserat, Sectarii
 Castillonium proditionis postulant, ac
 nequidem auditum rerum administra-
 tione amovent, proscribuntque, e-
 dito hoc non minus ridiculo, quam
 impudenti proclamate:

*Oratores Ecclesiarum Reformatarum
 Provinciæ Narbonensis ulterioris & citi-
 oris, Cebennarum, Vivariensium & Del-
 phinatus, præsentis literas inspectu-
 ris, Salutem.*

*Visis Articulo comitiorum generalium,
 per quem circulo Narbonensi concessum, ut
 privatis, publicisque provinciæ suæ negotiis
 prospiciat: Articulo item, quo eidem cir-
 culo armorum, & ærarii administratio per-
 mittitur: visis Vivariensium scriptis, au-
 ditisque ipsorum Oratoribus, queis multa
 in Castillonium conjiciuntur, petuntque ex-
 autorari pro indigno habitum: quod &
 idem petunt in Synodo Andusiana Ceben-
 nenses: visis item quæ Gallia Narbonensis
 de eodem Castillonio conqueritur: nempe op-
 pressam prætoris administratione provin-
 ciam, Ærarium peculatu distractum, ur-
 bes ejus procurationi permissas, pessimo
 præ-*

præfecti sui exemplo nutare, dubias in fi- **Sæc. XVII.**
 de, aut plane transfugas: viso item li- **A. C. 1621.**
 bello supplice, quo ad præsentem Synodum
 delegatos rogant, & hortantur Ecclesiæ,
 caveant nequid pravis Castillonii machina-
 tionibus detrimenti caussa publica patiatur:
 perpensis attentius proborum Sententiis,
 unanimique Ecclesiarum Gallicæ omnium
 contra Castillonium voto, mature perpensa
 prodicione hominis nequam & perditæ, qui
 nostro omnium excidio sibi fortunam struit.
 Quæ proditio dissimulata diu, tunc primum
 omnibus patuit, cum Gallicæ Narbonensis
 reformati, afflictis Bearnicæ fratribus præ-
 sto esse parabant, lecto in subsidium milite,
 quod urgere debuerat, distulit proditor,
 quod enixius amplexari aspernatus est. Scæ-
 pe copias in provincia legit explorandis vi-
 ribus nostris, monendisque dein secreto ho-
 sibus, quid nobis militum, quid annonæ,
 quidve armorum foret. Quoties ab ipso
 vanis rerum imaginibus delusi fuimus?
 quoties in militem nostrum forte incidens
 hostis, qui potuit ad internecionem deleri,
 evasit incolumis ex compacto? quoties pra-
 va ipsius machinatione rerum nostrarum ad-
 ministratione dejecti viri innocentes & probi?
 quoties velatum nobis ab ipso sub obscura
 nube, quod debuit esse apertum pro Salute
 caussæ communis? Quæ perdendis hostibus
 in plano nobis fortuna potuerat, ardua &
 difficilia mentiebatur, monebatque furtim

Sæc. XVII. quorum intererat belli duces, quo sibi, & A. C. 1621. rebus suis prospicerent. Perpetua ipsi cum ~~hoste~~ hoste commercia sunt, & fuere, ex quo malo omnium nostra, Reipublicæ adnotus est: Si quem reformatorum compellavit amice, si quem Secreti habuit participem, hoc ipso pro Desertore causæ acceptus, adeo unum sunt, fidum esse Castillonio, & causæ proditorem. Habuit, & habet etiamnum emissarios, distributos in stata tempora, quos in aulam mittere solitus aperiendo causæ communis arcano, cujus propalatione pereunt res nostræ, ut publicæ, ut privatae sunt, Præfectos arcium nostrarum ad Regem transfugas coluit, habuitque inter fidos. Si quando de Comitibus Rupellæ generalibus Sermonem instituit, quo contemptu, qua protervia debacchatus est: usurpavit omnimodam loquendi Licentiam Desertor impius contra Dominos, patronisque illudit effræni dicacitate cliens: quod publice statutum a Comitibus, aut Synodis provincialibus privatim abrogavit: prædam hosti restitui jussit, captam jure belli: quæ nobis malis artibus eripuerat hostis, tulit, ut retineret: arma per immensos sumptus procurata circulo Narbonensi, passus est venire in manus hostiles, & forte procuravit. His attente perpensis, quia nulla perditio homini via in pœnitentiam est, nulla in correctionem spes: Nos præfati Oratores, nomine quo supra, Castillonium
 omni

omni rerum nostrarum administratione in-
 terdicimus, *Monspeli, Fossarumque Ma-* Sæc. XVII.
A. C. 1621.
 rianarum procuratione movemus, & si
 quam nobis rogantibus auctoritatem comi-
 tiorum rescripto in *Cebennos, & Viva-*
 rienteses, & *Cabalos* obtinuerat, in præ-
 sens, & in futurum revocamus: exsolvi-
 mus Sacramento indigenas, quo incautos
 adegerat, ut in ipsius verba jurarent. In-
 terea potestas omnis penes eos esto, quos
 Ecclesie Septimanice delegaverint, donec
 Comitiorum Generalium auctoritate plenius
 statutum sit, penes quem imperium esse de-
 beat. Hæc quo omnibus innotescant, pa-
 lam legi, in acta referri, perque provin-
 ciam circumferri placet. Datum *Nemausi*
 vigesima prima Novembris, anno millesimo
 sexcentesimo vigesimo primo.

Ex hisce Calvinistarum literis fat-
 luculenter apparuit summa eorum im-
 pudentia, qua sibi jura ad solum Re-
 gem spectantia arrogarunt, & cum
 nonnisi rebelles e sæce vulgi lixæ
 & mangones essent, cum Viro profa-
 pia illustrissimo, in quem nulla eis ju-
 risdictio, lege experiri præsumpserunt,
 non alia de causa, nullumque aliud ob
 crimen, nisi quod debitam Regi suo
 fidem servasse crederetur: Verum
 ipsæmet hæ Calvinistarum impietates
 tantum profuere Castillonio, ut ipse
 agnitis tam perversæ sectæ erroribus

Sæc. XVII. paulopost fidem Catholicam amplectens
 A. C. 1621. retur, a Ludovico Rege Marecallus
 Franciæ creatus.

§. XC.

Montalbanum a Rege obsessum.

Calmet Hist. Univ. l. 151. Meteran. lib. 41. Theatr. Hist. cap. 3. p. 42. Dies illuxerat decima septima Mensis Augusti, qua Ludovicus Rex tracto Avarione fluvio Montalbanum, validissimam Aquitanix urbem obsidere cæpit: Præerant eidem Forcæus, eisque duo Filii, necnon Orvallius Comes Sullii Ducis Filius: Præfidiarios numerabant decem millia peditum, & ducentos equites præter quindecim millia civium, quos omnes sectæ suæ studium, & rebellionis motæ pervicacia ad strenuam defensionem accendebat. Ad vesperam primæ diei regii ad Mommirati propugnacula impetum tentant, ac Puteanum cum suis ex urbe erumpentem cæso Tenantio Præsidii Præfecto repellunt, rara tamen utrinque clade: Altera die Mayenius interjectam urbi & pomæriomaceriam invadit, incautoque hoste occupat, vicissim vero Regii, dum incautius castra vallo & cespite firmant, a Sectariis in fugam aguntur, mox tamen collectis ordinibus eos levi utrinque dispendio repellunt, & Gardesium Præfectum

fectum trucidant. Luctuosior erat re-
 giis calamitas ab igne, qui ad villam
 Borboniam, necnon in Mommirati ca-
 stris armamentaria pulvere pyrio re-
 pleta uno eodemque momento invase-
 rat, non sine ingenti Regionum strage:
 Vix ullus dubitabat, a Sectariis, qui
 Regi fidem mentiti libere cum milite
 regio versabantur, ignem fuisse immis-
 sum: Interim crebris velitationibus di-
 micatum, Montalbensibus nunc de-
 victis, nunc victoribus: Die autem pri-
 ma Septembris Lediguerius Marescal-
 lus urbem toto impetu quaterre cæpit,
 Mayenius vero hostilem aggerem, quo
 urbs tegebatur, die quarta ejusdem
 Mensis aggreditur, ac iterata verbe-
 ratione pene dejicit: occurrit Bur-
 francus Comes, sed ictu ad occiput
 impacto occumbit, cujus morte con-
 territi Montalbenses pedem referunt:
 Orvallo autem tum erumpente, restau-
 ratur pugna, infausta Regiis sorte:
 quippe Nobilium quadraginta cæsis,
 totidemque faucibus victoria, quæ ta-
 men nec hosti incruenta erat, penes
 Montalbenses stetit, nec auspiciore
 fato Mayenius in adversa fluminis ripa
 dimicabat, non sine magna suorum
 clade ab incæpto aggeris bellici labore
 repulsus: tantus enim Sectariorum in
 Regias cædes ardor erat, ut etiam
 T 5 pueri

Sæc. XVII.
 A. C. 1621.

Sæc. XVII. A. C. 1621. pueri & foeminæ, exuta sexus, ætatis-
que fragilitate, militaria obirent mu-
nia, haltisque & sclopis armati in Ca-
tholicorum viscera grassarentur. Non-
dum tamen adversis fortunæ casibus
fracta erat Mayenii virtus, qui inde
audentior factus, die decima septima
Septembris incredibili ardore valla
jamjam usque ad Villæ Borboniæ fos-
sam produxerat, proximam urbis de-
ditionem sibi pollicitus: Eundem visum
ibant Guisus Dux, & Schombergius
Comes, quibus laborem, cui totus in-
cumberet, exhibiturus, in valla de-
scendit, locumque irruptioni percom-
modum designans, cum caput vallo
exerit, a quodam milite Calviniano
observatus glande plumbea trajicitur.
Defuncto sufficitur Theminius Mare-
scallus, qui continuata acrius verbe-
ratione frustra pontem, cujus beneficio
Villa-Borbonienses cum Mommiratanis
commercia habebant, dejicere satagit,
ac cuniculo ad Mommiratum effolo
ignem subjicit, infausto prorsus confi-
silio; quippe disjecta humus in Regios
resiliens, quamplurimos nec ignobiles
obruit. Repulsis Regiis mox foeminæ
accurrunt, ac ruinam congestis doliis,
tignis & lapidibus reparare festinant,
non sine ingenti earum strage, cujus
tamen dolorem suppetiæ a Rohanæo
ob-

obsessis illatæ temperabant. Tandem Sæc. XVII.
A. C. 1621.
vero desperatis omnino rebus Come-
stabilis Luynæus Rohanæum amice
convenit, ac deditiois procurandæ
rationes eidem exposuit, nec irritò
prorsus conatu; quippe Rohanæus de-
ditionem spondet, iis tamen legibus,
quas Regius Senatus magis congruas
fore censuerit: Hujus negotii succes-
sum præpediebat Schombergius, qui
intra quindecim dies expugnandæ ur-
bis spem Regi fecerat: quippe redinte-
grata acrius verberatione tam amplius
muri hiatus patebat, ut totius agminis
irruptioni locus esset. Verum ipsa hæc
murorum ruina Regiis accessum præ-
cludebat: unde desperato expugnatio-
nis successu, morboque epidemico Bel-
luduces, magnoque numero milites,
quibus ferrum pepercerat, depascente,
Rex obsidionem solvere statuit, ac die
quinta Novembris belli tormentis Moif-
sacum abductis, die decima ejusdem
Mensis Picquecosium reversus est, re-
lictis sex peditum millibus & quingen-
tis Equitibus, qui urbem cinctam te-
nerent. Ceterum nulla unquam obfi-
dio contra hosce Sectarios contuma-
cior, nulla Regiis magis infausta nu-
merabatur, non modo ob innumeras
pene tormentorum displosiones, quas
unico trimestri plusquam vigesies mille
fuisse

Sæc. XVII. fuisse volunt, sed & propter ingentem
 A. C. 1621. cæſorum numerum, qui ad ſeptende-
 cim hominum millia aſcendiſſe perhibetur, quos inter militari experientia, fortitudine ac generis Nobilitate clariffimi numerabantur.

§. XCI.

*Tumultus a populo ob Mayenii cædem
 Parisiſ concitatus.*

Meteran. l. c.
Gramond.
l. 10. p. 494.
Serres hiſt.
Franc. p. 999.

Interim ſeditio ad Delphinates a Momburno & Laſuæo concitata erat, quam tamen Lediguerius mox adductis copiis ſuis compeſcuit: cumque Mirambellus Monhurtii oppidi Præfectus, audito Montalbanæ expeditionis ſiniſtro ſucceſſu, Regis obſequium excuteret, Pardalianus Gubernator tempeſtively accurrens, urbe potitur, præſidiariis fuga dilapſis: inde ad Fidei-Fanum progreſſus, a ſectariis unacum Sacerdote quodam in oppido Genſaco quadraginta plagis conſectus occubuit, conſciis parricidii filiis ſuis, Marchione Mirambello, & Gaſtetenſi Vicecomite. Hoc comperto Rex hanc urbem æque ac Monhurtium, quod denuo fidem Regi debitam exuerat, obſidione cinxit, ac præprimis die undecima Decembris Monhurtium acriter obſidione preſſum ad deditiorem compulſit.

pulit, demum adulta jam hyeme To- Sæc. XVII.
 losam recessit: Postquam vero Henri- A. C. 1621.
 cum Lotharingium Mayenii Ducem a
 sectariis fuisse trucidatum Parisiis in-
 notuerat, mox periculosior in eos com-
 mota est seditio: incertum tamen, an
 hujus Principis populo admodum
 cari mortem ulciscendi studio, an ve-
 fana in prædam libidine: a jurgiis &
 asperis in Hugonotas convitiis datum
 est initium, brevique ad manus & ver-
 bera deventum, cumque pridie mer-
 catorum tabernæ duobus pontibus im-
 positæ cum ingenti damno conflagra-
 rint, & Calvinistæ hujus incendii au-
 thores crederentur, ex furioso populo
 nonnulli vicem repensuri, pariter Se-
 ctariorum ædes incendunt, diripiunt-
 que: mox tamen seditionem restinguit
 Magistratus, distributo per urbem præ-
 sidio militari, actisque in furcam po-
 pularis tumultus Authoribus. Dies
 autem erat Dominica, qua Calvinistæ
 ad oppidum, cui Charentonium no-
 men, Lutetia haud procul distitum exer-
 cendæ sectæ suæ causa prodibant: eo
 igitur seditiosi properant, direptisque
 pagi ædibus templum invadunt, con-
 geltaque in cumulum scamna, sedes,
 & ipsam Prædicantis cathedram ad-
 moto igne absumunt, multosque ex
 Hugonotis aut sauciant, aut trucidant:
 Tem-

Sæc. XVII. Tempestive tamen Monbafonius Dux
 A. C. 1621. Parisinæ urbis Gubernator immisso sa-
 tellitum agmine furibundos compescuit,
 cunctis domum reverti iussis, simulque
 promulgato edicto, vi cujus Calvinista
 in suo sectæ exercitio perturbare
 inhibitum: cum autem in superhabita
 hac lege quidam duas Calvinistarum
 ædes diripere tentarent, ex illis qua-
 tuor deprehensi in vincula coniecti sunt,
 atque altera die duolaqueo, ceteri exi-
 lio seditionis suæ pœnas exsolverunt.
 Rex vero dirutum Templum Charen-
 tonii restaurari iussit, nequicquam re-
 clamante Procuratore Regio.

§. XCII.

*Pater Arnulphus Jesuita Aula
 excedere iussus.*

*Gramond.
 lib. 3.*

*Alegambe
 Bibl. Script.
 Soc. lit. N.*

*p. 405.
 Jæger Hist.*

*Eccl. l. I.
 cap. 13.*

*Melang.
 Hist. vol. II.*

pag. 45.

Nondum biennii spatium effluxerat,
 a quo Pater Arnulphus Jesuita,
 postquam Ludovicus XIII. anno mille-
 simo sexcentesimo decimo septimo Pa-
 trem Cotonum valere iussit, moderan-
 dæ Regis conscientia a Luynæo Com-
 mestabili admotus fuerat, eo fine, ut
 hic Vir, quem in aulicis artibus haud
 rudem noverat, Ludovici XIII. animum
 sub conscientia ac religionis obtentu
 ad cuncta, quæ Luynæo Regis clienti
 expedirent, flecteret; Acceptabat lu-
 bens

bens Arnulphus hoc, arduum licet, Sæc. XVII.
 officium, ea tamen lege, A. C. 1621. ut sibi liceret
insalutato, receptui ab Aula canere, si qua
fieret unquam mentio, de se ad Insulas e-
vocando: Attamen hunc Virum nequa-
quam deferendæ Insulæ metus, sed
immodica dominandi libido, indeque
orta Luynæi æmulatio eo adegit, ut
invitus receptui ab Aula canere coge-
retur: Jam antea se ridiculum, & Re-
ginæ exosum reddiderat, eoquod ab
afflicta hac Principe, advocato in te-
stem Patre Suffrenio Jesuita conscien-
tia ipsius Moderatore, urgente Luy-
næo juramentum exegerit, non disces-
suram se Blesis sine Regis consensu:
Carpebatur insuper passim ab Aulicis,
quod de Aula magis, quam de Eccle-
sia meritis, Regni arcana ardentius,
quam pro muneris sui ratione par erat,
moderatus esset: postquam igitur Rex
die vigesima tertia Novembris Tolosa
proficisci parabat, ejus jussu Luynæus
Arnulphum prensati in Aula rerum im-
perii suspectum, remotis arbitris, ita
alloquebatur: dolenter ex Regis man-
dato secessum ab Aula indicere cogor Vi-
ro, quem habui, & habebo semper inter
amicos: tentabam omnia, quæ ad lenien-
dum hoc mandatum apta censebam, sed
immotus in suo proposito perstitit Rex:
 Ad hæc Jesuita velut a fulmine im-
 pro-

Sæc. XVII. proviso exanimis, mox tamen collecto
A C. 1621. spiritu respondit: *non est, quod doleas
 de meo secessu, cujus auctor & ipse u-
 nus: mihi nil aliud objici potest, quam
 quod Regem, pro Rege ut se gereret,
 voluerim & curarim: gaudeo autem,
 quod salutem meam indicto recessu certam
 reddere volueris, quam mihi in aulam e-
 vocato dubiam reddideras: id unum ti-
 meo, ne quod ex privato in me odio fit,
 ex meo crimine factum credant plerique,
 atque ex privato Jesuitæ delicto IN
 SOCIETATEM calumnia redundet.*
 Huic vero Luynæus commotior factus
 reposuit: *urgent Regis jussa, ultro igitur
 abscedere, ne moreris, neque in factum
 inquire, sufficiat tibi, quod Regi affectatæ
 dominationis, mihi autem violatæ fidei reus
 sis.* Accepto hoc responso Arnulphus
 altera die ad Capellæ Abbatiam, ubi
 tum Rex agebat, contentiosius profi-
 ciscitur, fugienti fortunæ inhiaturus,
 ac honoribus, quos solemniter abdicave-
 rat voto, litaturus: Rogat, instat, &
 urget, ut mandati executionem præ-
 pediret; sed incassum omnia: ceden-
 dum erat Regis voluntati: anxium
 tandem & apici fortunæ labentis tena-
 cius inhærentem Radesianus Cardina-
 lis his verbis convicit: *vel auctore Rege
 exilium pateris, vel eo ignorante: si au-
 ctore, parendum: si ignorante, pariter
 obtent-*

obtemperandum; potentior enim est in Aula Sæc. XVII.
 Luynæus; quam ut impune abeant spreta A. C. 1621.
 ipsius mandata. „His, inquit Gramon-
 dus Præses Tolosanus tum præsens,
 „Arnulphus plene convictus spem om-
 „nem abdicat, privatimque Tolosæ a-
 „git homo, uno aulæ nævolaborans: in
 „ceteris probe institutus: Doctus juxta,
 „ac eloquens, pius, & si libido aulæ
 „abesset, incorruptus. „

„Ad nuncium indicti exilii obstu-
 „puere omnes; eo enim autoritatis
 „profectus in aula Arnulphus, ut ar-
 „bitrio ipsius subessent omnia: mode-
 „ratur conscientiam Regis piissimi,
 „religioneque ligabat sibi religiosum
 „principem, quo non aliud vinculum
 „fortius, non aliud manente Religio-
 „ne tenacius: Sic æmuli machinatio-
 „ne, dejectus aula ex improvise æmu-
 „lus, quæ aulicis passim exercitatio est,
 „retinendo, vel occupando invicem
 „loco. Sane si Arnulphus Luynæo
 „prævaluisset, & inducebatur animo
 „Regis oblivio Luynæi, perinde ac
 „Arnulphi, maneretque ille, qualis
 „hic mansit: Decretoria est victoria in-
 „ter aulicos ex captato opportune mo-
 „mento, quo vincunt, aut vincuntur.
 „Causam exilii dixere ignari rerum,
 „autoritatem nimiam: Gnari & sapien-
 „tes superaddebant dejectum impoten-

Hist. Eccles. Tom. LVII.

U

„tem

Sæc. XVII., tem sui hominem, maxime ex ea
A. C. 1621. „caussa, quod fortunæ suæ opificem
 „Luynæum non vocasset in secreti sui
 „conscientiam, quodque viribus suis
 „substituturum se præsumens, spreverit
 „autorem. Certe corruptis omnibus,
 „qui Regi circumstabant, unus Arnul-
 „phus Luynæo negabat conductitiam
 „operam: quo, etsi amico ingratus,
 „Regi fidus erat. Dejecto substituitur
 „P. Seguiranus vir sapiens, & doctus,
 „hoc laudabilior, quod publicis nego-
 „tiis parum immiscuerit se, missam ha-
 „bens Reipublicæ curam tanquam non
 „sui muneris., Ceterum dimisso Ar-
 nulpho Rex conscientiæ suæ arbitrum
 felegerat Patrem Seguiranum itidem
 Jesuitam, quem tamen Regina Mater
 in Filii sui gratiam reversa ex aula de-
 turbabat, eoquod eidem, dum adhuc
 Blessis detenta hærebat, suavisset, ut
 Religiosam vitam in Monasterio quo-
 dam profiteretur. Postea Seguirano
 subrogabatur in Regii Confessoris mu-
 nere Pater Suffrenus, qui tamen brevi
 dimissus Reginam in Belgium comitari
 jubebatur; nec magis diuturna erat
 P. Maillani in aula favor; quamvis e-
 nim a Cardinale Richelio fuisset in-
 trusus, mox tamen P. Gourdonno locum
 cedere jubebatur, cui demum Pater
 Caussinus successerat.

§. XCIII.

§. XCIII.

Sæc. XVII.
A. C. 1621.*Controversia de Immaculata Conceptione B. V. M. rursus Romæ agitata.*

Quantumvis Philippus III. Hispaniæ *Waddingus*
 Rex, priusquam supremum vitæ *Legat. Phi-*
 diem obiret, urgendæ decisionis cu- *lippi ad*
 ram Philippo IV. Filio suo demandasset, *Greg. XV.*
 hic nihilominus Albuquerque suo apud *p. 243.*
 Sedem Apostolicam Legato injunxit,
 ut in controversia de Immaculata Con-
 ceptione B. V. haud ulterius progrede-
 retur, die tamen tertia Augusti datis
 ad eum literis concessit Rex, ut novum
 hoc mandatum cum illis, qui Romæ
 negotium illud urgebant, communica-
 re posset. Sub idem vero tempus no-
 væ in Hispaniis desuper oriebantur li-
 tes, & Principum non pauci ac præ-
 cipue Hispalenses Regem impensius *Montreal.*
 rogabant, ut Regii Montis Comitem
 Romam ablegaret, simulque peteret,
 ut Gregorius XV. neo-electus Ponti-
 fex hanc controversiam, aut Apostolica
 definitione dirimeret, aut saltem oppo-
 sitam sententiam damnaret. Ipsa etiam
 Regina Infans Hispaniæ, & Margaritha
 Austriaca Maximiliani Imperatoris Fi-
 lia necnon Ferdinandus II. Imperator
 hanc in rem supplices ad Papam dedere

U 2

lite-

Sæc. XVII. A. C. 1621. literas: Comes igitur ex Hispania Romanam appulsus, atque ad alloquium admissus, nomine Regis sui, filialis obedientiæ homagium summo Pontifici exsolvit, enixe precatus, ut hunc Regi favorem exhibere, ultimamque manum noto negotio apponere dignaretur. Æqua videbatur Pontifici petitio; quapropter ex supremo sacræ Inquisitionis Senatu præcipuos selegit Cardinales, eo fine, ut una omnes hac super re deliberarent. Igitur consultatione sæpius habita censuere Cardinales, quod si hanc controversiam definire non expediat, saltem inhibendum foret, ne opinio de B. Virgine in originali peccato concepta clam vel publice propugnaretur, neque etiam deinceps in cultu Divino voce ac ritu sanctificationis uti liceret.

§. XCIV.

Gregorii XV. Decretum circa controversiam de immaculata Conceptione B. V.

*Bullar.
Magn.
Greg. XV.
Const. 29.*

Horum Cardinalium sententiam ipse summus Pontifex mature ponderans, omnino ratam habebat, proin hanc in rem die secunda Junii decretum edidit, quo innovatis Sixti IV. & Pauli V. Constitutionibus præcepit, ut in

in S. Missæ Sacrificiis ac Divino Officio tam publice, quam privatim non aliud quam Conceptionis nomen, non expresso *immaculatæ*, vel *maculatæ* verbo, adhibeatur, dein omnibus & singulis inhibuit, *ne de cetero, donec articulus hujusmodi a Sede Apostolica definitus, & per Sanctitatem suam & Sedem Apostolicam aliter fuerit ordinatum, neque in sermonibus & scriptis privatis quispiam audeat asserere, quod eadem B. Virgo fuerit concepta cum peccato Originali, nec de hac opinione affirmativa aliquo modo tractare: exceptis tamen, quibus a Sede Apostolica fuerit hoc simpliciter indultum. Per hoc tamen Sanctitas sua non intendebat reprobare hanc opinionem, nec ei ullum prorsus præjudicium inferre, eam relinquens in eodem statu, & iisdem terminis, in quibus reperitur, præterquam quoad in suprascripto felicitis recordationis Pauli V. & hoc suo decreto disposita.*

Quamvis hoc decreto sententia de immaculata Conceptione nondum fuerit definita, sed duntaxat ulteriori definitioni reservata, hancque solam præ opposita prærogativam acquisierit, quod illa, non hæc publice doceri potuerit, ac nonnullis de illa privatim saltem tractare specialiter indultum fuerit, nihilominus tam Romæ, quam in Hispania præsertim in Boëtica piæ sen-

Sæc. XVII. tentiæ fautores incredibili tripudia-
 A. C. 1621. bant lætitia; inter ceteros vero emi-
 nuit Zelus Joannis Baptistæ Petrigra-
 ni Sfortiæ, qui Equitum Ordinem sub
 invocatione immaculatæ Conceptionis
 B. V. erexit, & illius Statuta con-
 scripsit.

§. XCV.

*Pontificis literæ ad Philippum IV.
 Hispaniæ Regem.*

*Brev.
 Greg. XV.*

Cum autem in hac controversia pe-
 tissimam partem haberet Philip-
 pus IV. Hispaniarum Rex, hinc sum-
 mus Pontifex præprimis hoc decretum
 ad eundem transmisit, additis etiam
 literis, in quibus dilaudata Regis pie-
 tate inter alia etiam hæc subjunxit:
*Ne quid tamen novi in re tanta decernatur
 in præsentia, monet tum negotii magnitu-
 do, tum Romanorum Pontificum præde-
 cessorum nostrorum exemplum. Spiritus
 Sancti enim voci auscultare, non huma-
 narum rationum ponderibus rem exami-
 nare debemus, qui in Christianæ Sapien-
 tiæ Cathedra, Christiano Orbi a Deo
 præpositi sumus. Quare, cum nondum
 Æterna Sapientia Ecclesiæ tanti mysterii
 penetralia patefecerit, in Dei, Romanorum-
 que Pontificum autoritate debent fideles
 populi conquiescere. Magni tamen pon-
 deris*

deris fuerunt apud nos preces *Majestatis* Sæc. XVII.
 tue, tantumque negotium accuratius pen- A. C. 1621.
 savimus; aliquod tibi, regnisque tuis sola-
 tium afferre cupientes. Tum autem val-
 de timuimus, ne veterator ille serpens,
 qui boni malique scientiam propriis (forte
 legendum primis) parentibus pollicens,
 maximis humanum genus miseris cumu-
 lavit, ipsius pietatis armis abutatur, ad
 Christianæ plebis pacem dirimendam. Quæ
 enim opinionum dissensio est, fieri potest
 animorum contentio, dum magnificum
 gloriæ genus plerisque videtur, ubi quid
 in controversiam venit, de aliorum inge-
 niis triumphare. Quare dissensionum se-
 mina extinguere cupientes, antequam aspe-
 rior in illis provinciis pullulet *Zizanii*
 proventus, ingeniorum pervicaciam liber-
 tatemque differendi Pontificio Decreto
 coercendam statuimus.

Acceptis hisce literis Apostolicis
 Rex summo Pontifici & Cardinalibus
 in hoc negotio laborantibus prolixis
 oppido literis grates rependit, eos hor-
 tatus, ut Papam, si rei gravitas per-
 mitteret, ad definiendam hanc quæ-
 sitionem inclinarent.

§. XCVI.

*Pontificis responsum ad Dominicani
 Ordinis supplicationem.*

U 4

Sub

Sæc. XVII. Sub idem ferme tempus Patres Domi-
A.C. 1621. nicani sua totius Ordinis comitia

*Hist. Con-
greg. de
Auvil. l. 4.
cap. 32.*

*Bullar. Bul-
la Greg XV.*

Mediolani celebrabant, in quibus con-
gregati Patres, cum in controversia de
Auxiliis victoriam Molinistæ sibi per-
peram adscriberent, & fuscitatis de
Conceptione B. V. contentionibus in-
firmam etiam plebem in Dominicanos
commoverent, unanimi suffragio de-
crevere, supplicandum esse summo
Pontifici, ut utramque controversiam
Apostolico iudicio dirimere dignaretur,
non quidem, ut eorum opinionem determi-
nate definiret, sed ut illam ultimo decerneret,
quam ipse Spiritu Sancto afflatus consultis
sacris literis, veterumque Patrum monumen-
tis firmatam censuerit. Hanc in rem
igitur summo Pontifici libellum supplicem
obtulerunt Fratres Prædicatores, quo
maturius discusso Gregorius Papa sopitam
de gratiæ Auxiliis controversiam minime
resuscitandam censuit, circa alterum vero
supplicationis articulum die vigesima octava
Julii hanc ad eos epistolam rescripsit: *Exi-
mii, atque singulares fructus, quos dilecti
filii Fratres Ordinis Prædicatorum in
militanti Ecclesia, cujus regimini, divina
disponente clementia, præsidemus, attulerunt,
& in dies afferunt, promerentur, ut eosdem
Fratres, specialibus favo-*

favoribus, & gratiis, quantum cum Do- Sæc. XVII.
 mino possumus, libenter prosequamur. A. C. 1621.

Quapropter Nos omnibus &
 singulis dicti Ordinis Prædicatorum Fra-
 tribus, ut de cetero in quibuscunque pri-
 vatis eorum colloquiis, seu conferentiis,
 inter se duntaxat, & non inter alios,
 aut cum aliis de materia ejusdem conce-
 ptionis B. Mariæ Virginis differere, &
 tractare absque ullo pœnarum in dictis
 decretis contentarum incursu, libere & li-
 cite possint & valeant, Apostolica aucto-
 ritate, & tenore præsentium, licentiam
 concedimus & impertimur.

Decernentes, Fratres præfatos a quo-
 quam quavis auctoritate desuper molestari,
 perturbari, vel inquietari nullatenus pos-
 se, aut debere.

Hoc Pontificis indultum mœrore
 affecerat non paucos, præcipue vero
 Barcinonenses & Cæsar - Augustanos,
 qui adeo tenaciter piæ inhærebant sen-
 tentiæ, ut eam nequidem in privato
 colloquio in controversiam esse trahen-
 dam desiderarent.

§. XCVII.

*Diffidium inter Giessenses & Tubin-
 ganos Prædicantes.*

Acrius hoc anno bellum inter Luthe- Jæger Hist.
 ranos Prædicantes in Academia Eccl. Sæ-
cul. XVII.

U 5

Tu- p. 331.

Sæc. XVII. Tubingensi & Giessensi circa quamdam religionis controversiam exarserat: A. C. 1621.

Weisman.

Hist. Eccl.

Sæc. XIV.

p. 1178.

Compend.

Hist. Eccl.

Gothan. Coll.

pag. 801.

dam religionis controversiam exarserat: Illius occasionem subministrabat privata contentio, quam Balthasar Menzerus Giessensis Theologus ante quinquennium cum Joanne Winckelmanno, & Justo Gesenio Collegis suis habuerat circa præsentiam Christi Θεανδρωτες apud creaturas, quam Menzerus per operationem in scripturis definiri affirmabat, Winckelmanus vero inficiabatur, asserens, aliud esse, *adesse*, aliud *operari*: Hujus quæstionis, quam Menzerus *gravem & necessariam* vocabat, judicium expetebat a Mathia Haffenreffero tum Tubingensis Academix Cancellario, qui Menzero nullatenus adstipulabatur, sed datis ad Tubingenses literis hasce novitates omnino eliminandas censebat. Inde vero inter Prædicantes exortum est litis incendium ex Hassia Würtembergam usque propagatum, sparsumque præcipue per intemperiem quorundam Studiosorum, qui ex Hassia adventantes novam Menzeri doctrinam pro aris & focis tuebantur: Neutri parti sui deerant Pugiles, & quidem ex parte Giessensium præter Menzerum Virum omnis contradictionis impatientem, & plus justo proclivem ad ceterorum contemptum, in arenam descenderat, Justus Feurbornius

nius, qui Menzeri gener causam & glo- Sæc. XVII.
riam cum Socero suo communem ha- A. C. 1621.
bere gestiebat: Tubingenses vero hanc
spartam cessere Lucæ Ofiandro, &
Theodoro Thummio: Ne vero non in-
tellecto controversiæ Statu disputatio
in verborum contentionem degenera-
ret, hæc proponebatur quæstio: *An*
Christus ea Majestate Divina a puncto con-
ceptionis fuerit, vi unionis præditus, qui
non modo potuerit, sed etiam in actu, ut
loquuntur scholæ, secundo, an in Statu exi-
nanitionis rebus omnibus creatis fuerit præ-
sens, omniscius, & potenter actu gubernans
cælum & terram &c. vel an actualis Ma-
jestatis usus & exercitium per impedimentum
exinanitionis fuerit suspensum? Prius Tu-
bingenses, posterius tuebantur Giessen-
ses, qui Omnipræsentiam Carnis Christi
duntaxat ad exaltationis, non vero
Exinanitionis Statum pertinere affir-
mabant, Tubingani vero Menzerum
a tam periculosa novitate dehortati sunt,
datis ad eum literis, quarum summa
hæc est: „multa & magna esse merita
„tua in Ecclesiam Christi collata, &
„indefessum laborem, quo contra Pon-
„tificios, modernos Photinianos &
„cum primis Calvinianos, te defati-
„gasti, & scimus, & merito agnosci-
„mus; hoc vero miramur, quod R. T.
„D. in quæstione de Omnipræsentia
„car-

Sæc. XVII. „carnis Christi, non solum ab Ortho-
A. C. 1621. „doxorum Theologorum pura & sana
 „doctrina, verum etiam a suis olim
 „emissis recedit, & abit scriptis, quod
 „ex comparatione tractatus contra Sa-
 „deelem & Martinium ac Disputatio-
 „num, de Omnipræsencia Christi nobis
 „transmissarum luculenter apparet. De
 „his cum D. T. R. nostrum petierit ju-
 „diciam, & quid de ea quæstione sta-
 „tueremus, scire desiderarit, noluimus
 „pro gloria Dei, pro officio publico,
 „quo Ecclesiæ Dei obstricti sumus, &
 „veteri nostra amicitia (quamvis con-
 „sultius fuisset nostram exquisivisses
 „censuram ante publicam illarum Di-
 „sputationum divulgationem) illi, isti,
 „huic, ex nostra parte deesse. His
 præmissis Tubingenses Menzeri senten-
 tiam exponunt, & refellere nituntur,
 tandem vero ita concludunt: *dum ergo
 tua, quam in his disputationibus foves, &
 defendis Sententia, prioribus tuis scriptis,
 non sine adversariorum tripudio, adversa-
 tur, & Orthodoxorum Theologorum Do-
 ctrinæ repugnat; Calvinianis etiam, stan-
 tibus tuis hypothesis, solide amplius re-
 sponderi nequit, iis porro fenestra aperitur,
 impia sua dogmata in Ecclesias Lutheranas
 invehendi, quæ quidem a Photinianis, Pon-
 tificiis, & Calvinianis adeo affliguntur,
 & exercentur, ut nulla ratio, & causa*
 nobis

nobis supersit, novas controversias, aut *Sæc. XVII.*
 lites seminandi, sed potius hostibus illis *A. C. 1621.*
 conjunctis animis & viribus resistendum sit:
 Te per Dei amorem, per Christi Salvato-
 ris nostri gloriam, Ecclesiæque Orthodoxæ
 tranquillitatem, fraterne rogamus, ut
 Sententiam hanc mittere, publicationes e-
 jusmodi scriptorum omittere, nec Studio-
 sis (quorum jam aliquot Sententiam tuam
 pro Disputationibus proposuerunt: sed mo-
 deste hæctenus & suppresso nomine illis re-
 spondimus) occasionem, Sententiam tuam
 hinc inde propagandi, præbere velis.

Per plures annos hi Prædicantes
 missis hinc inde scriptis, jactitatis ut-
 rinque convitiis, mutuisque crimina-
 tionibus rixabantur: suam quoque au-
 ctoritatem anno Christi millesimo sex-
 centesimo vigesimo quarto interponere
 audebant Prædicantes Saxonici, qui
 Giessenses *in defectu*, & Tubinganos *in*
excessu delinquere decidebant: ast mox
 reprehensi fuere a Tubingenfibus, qui
 Saxonis palam declararunt, quod
 eorum decisioni sese subicere nolint,
 eoquod *in ipsos tanquam Decisores nun-*
quam compromississent, atque in fidei con-
troversia non ab hominibus sed a Scriptura
decisivam sententiam petere assueti essent.
 Helmitadienses vero Prædicantes tam
 Tubingenium, quam Giessensium do-
 ctrinam esse falsam pronuntiarunt, æ-
 que

Sæc. XVII. que suam decisionem ex S. Scriptura
 A. C. 1621. mutuantes. Würtenbergenses econtra
itidem sacrae scripturae innixi Giessensium doctrinam esse falsam deciderunt:
 ex sacris pariter literis Tubingani Gies-
 sensium dogma Calvini, Photii & Nestorii erroribus consonum esse, declararunt: Meditabantur concordiam Lipsienses Theologi, hancque in rem anno Domini millesimo sexcentesimo vigesimo quarto Lipsiæ conventum habebant: cum autem hi Giessensibus fa-
 verent, mox Tubingani eorum iudicium rejecerunt, declarantes, quod totam causam *judicio militantis Ecclesiae* relinquere velint: cum autem hanc Ecclesiam, utpote juxta ipsos invisibilem, invenire non potuerint, quod promissere, nullatenus opere impleverunt, sed novis identidem scriptis hostes suos cum ingenti etiam rudis plebeculae scandalo lacefferunt, existimantes, se solos esse illam militantem Ecclesiam, cujus iudicio Giessenses stare tenerentur: Hoc item anno Ludovicus Darmstadiensis Landgravius conventum suorum Præconum celebrabat, ac specialem legationem ad Wirtenbergicum Ducem in hujus litis causa decernebat; cum autem ne hi quidem inter se concordessent, in irritum cecidit Landgravii conatus, exortis
 exin

exin jurgiis adhuc acerbioribus. In-
 testinum tandem hoc inter Prædican-
 tes bellum nonnisi Germanici belli
 flammis extingui poterat (*).

In-Sæc. XVII.
 A. C. 1621.

§. XCVIII.

(*) Hujus relationis veritatem compro-
 batam reddidit Gottofredus Arnoldus Pro-
 testantici gregis Scriptor, qui in sua hæresum
 Historia part. II. Lib. 17. c. 6. §. 28. & seqq.
 hæc habet: Dergestalt, hat immer ein Irrender
 den andern auf die Kegerbank setzen wollen, und
 ist der Wortkriege und Fragen auf den Schulen
 kein Ende gewesen, wie wir in so vielen nach-
 folgenden Exempeln sehen können. Es waren
 die Schultheologen aus denen erschrecklichen
 Zerrüttungen in vorigem Sæculo des Disputie-
 rens und Zankens noch immer gewohnt, so daß
 sie nicht allein Leute von andern Partheyen, son-
 auch sich selbst unter einander nicht mit Frieden
 lassen konnten. Daher geschah es unter andern,
 daß sich die tûbingischen, und gießischen Profes-
 sores bald bey Anfang dieses Sæculi zum größten
 Vergerniß von einigen unnützen Schulfragen he-
 rumzankten.

Da kam es zum öffentlichen Disput, indem
 jener seine Theses publice und privatim pro-
 ponierte, diese ihm auch öffentliche Disputa-
 tiones

Sæc. XVII.
A. C. 1621.

§. XCVIII.

Turcarum bellum adversus Polonos.

Meteran.
Hist. Belg.
lib. 41.
Bell. laur.
Austr.
p. 531. &
567.
Sagredo
Mem. Isto-
ric. p. 617.

Cosaccis continuo in Turcicos fines prædatum excurrentibus, Osmanes Sultanus vehementer irritatus, relicta Persis Babylone, omnes Imperii sui vires, bellique furorem in Polonos effundere statuit: collectis igitur trecenties mille armatis apud Fluvium Tyram Mense Septembri confedit: Polo-

tiones entgegen setzten, auch dessen Meynung vor unrichtig, confus, und denen Calvinisten, Pöstinianern, und Nestorianern beygethan erklärten, so, daß die Studenten nicht wußten, wem sie glauben sollten. Im folgenden Jahr stellte zwar Landgraf Ludwig zu Darmstadt einen Convent an, darauf sich die Theologi etliche Tage herum disputirten, aber ungeacht der großen Bemühung des Landgrafens selbst sich nicht völlig vereinigen konnten, indem D. Menzer bald bey erfolgenden ferneren Disputen sehen ließ, daß er die Worte des Receßes nach seinem eigenen Sinn verstanden, und bey der Definition der Omnipræsentia nach wie vor, verblieben. Warum es aber diesen Leuthen eigentlich zu thun gewesen, siehet man aus etlichen Handschreiben, welche

Poloni autem, postquam Anglorum, & Sæc. XVII.
 Batavorum opem frustra implorave- A. C. 1621.
 rant, ductore ipsomet Uladislao Regis
 Sigismundi Filio cum octoginta milli-
 bus, validoque Nobilium agmine Otto-
 manis copiis in occursum properarunt,
 haud

welche sie damals mit andern gewechselt, und
 woraus ich, weil sie eigenhändig noch zu finden
 sind, etwas anmerken will. So schrieb schon
 in dem Jahr selbiges Streits, nämlich Anno
 1616. Cælestinus Mislenta von Giessen nach
 Wittenberg: Feuerbornius hätte D. Menzers
 Tochter genommen, womit er der ganzen Uni-
 versität verhaßt worden, und weiter: Indem
 Menzerus seinen Eydam allein erwählen, und
 die andern unterdrücken will, so kann der Sta-
 tus der Academie unmöglich ruhig seyn. Bes-
 wis, er verfolgt D. Gisenium auf alle Weise,
 verachtet seine Arbeit vor den Studenten, suchet
 hier und da Wörter zusammen, die er bey Hofe
 und bey dem Rectore denunciert. Das Con-
 fistorium hat über zwölf Tage mit höchstem Ver-
 druß, über das einzige Wörtlein Vis, welches
 Gisenius in einem Collegio in Genitivo gesetzt
 gehabt, sitzen müssen, und will Menzerus durch-
 aus haben, man sollte das ganze Collegium
 confiscieren. Es ist zu beklagen, daß diejenige
 Hist. Eccles. Tom. LVII. X gen

Sæc. XVII. haud procul ab arce Cochimo, unoque
A. C. 1621. milliari a Turcarum exercitu castra
 metati. Die tertia Septembris Vezirii
 iussu Cantemirus Tartarorum Princeps
 cum quinque suorum millibus Cosac-
 corum castra aggreditur, ab ipsis ta-
 men

gen so unbillig seyn, die sich doch vor die Ge-
 rechtsten und Heiligsten ausgeben, daß man also
 siehet, wie diese Streitfrage, und also Gottes
 heilige Gegenwart und Name, nur die Materie
 seyn müsse, worüber man denen verhassten Per-
 sonen durch erwünschte Berührung beyzukommen
 und zu Schaden gesucht.

Die häufige Argumenta und Gegensätze, die
 pro und contra hievon vorgebracht worden, sind
 zu wiederholen, weder nöthig, noch werth, weil
 doch das meiste auf die von Paulo verbotene
 Wortkriege, und Streitfragen, die ohne Besse-
 rung zu Gott gewesen, hinaus gelaufen, und die
 dießfalls gewechselten Schriften, annoch zum
 Zeugnuß und Aergerniß häufig zu finden sind.
 Wie denn die Theologi einander die ärgsten
 Ketzeren dabey vorwerfen, und bald zu Mar-
 cioniten, bald zu Nestorianern, bald zu Calvi-
 nisten machten, und damit wiesen, daß sie sowohl,
 als ihre Vorfahrer und Nachfolger, die Ketz-
 macherkunst auf ihren Universitäten ex professo
 gelehr

men strenue repulsus, cæsis suorum non paucis ipsemet captus est: Altera die Osmanes Imperator suorum numero tumidus, rursus impetum tentat, nec impropero tumultuarii ausus initio; Cosacci enim hostium multitudine obruti

Sæc. XVII.
A. C. 1621.

X 2

ruti

gelernt hätten, so, daß es ihnen gar ein Leichteres wäre, auch die Orthodoxen, und eifrigsten Rehermacher selbst dennoch auch vor Keger zu erklären: Unter andern hat D. Lucas Osiander in einer Vorrede Menzerum ausdrücklich der Apostasie, und des Calvinismi beschuldiget; auch sonst aufs gräulichste durchgezogen, so daß es ein Straßburgischer Theologus damals gar bößlich bedauerte. Ein anderer erkannte gleichfalls an den Tübingern hiebey eine grosse Philantie, und *Φιλωνειαν*, nicht aber die Liebe zur Wahrheit: Joannes Saubertus schrieb ausdrücklich anno 1624. Wollte Gott, die Tübingen führten sich also auf, daß ihre Meynung der Wahrheit, und den Frieden nicht schadete.

Waltherus schrieb gleichfalls: Ich kann Osiandri und Thummii giftige Schreibart nicht billigen, die sie gegen Mentzerum brauchen, sie hätten sich sollen mäßigen, und solcher Bitterkeit enthalten. Dergleichen judicia ich auch in D. Conradi Dieterici, D. Balduini, und anderer eigens

Sæc. XVII. ruti solutis ordinibus pedem retulerunt,
 A. C. 1621. mox autem a Carolo Chotkibio Polo-
 nici exercitus Imperatore suffulti, re-
 dintegratis animis Turcarum ordines
 latissima confusaque passim strage fu-
 derunt, ac cæsis viginti circiter milli-
 bus,

eigenhändigen Briefen finde. Dieser letztere ge-
 denket unter andern, das Thummius gedrohet
 hätte, wo die Leipziger und Wittenberger nicht
 würden stille schweigen, wollte er sie gräulich
 tractiren, und setzet dazu: Wir können nicht an-
 ders schließen, als daß diese Leute entweder aus
 Furcht, oder aus närrischer Hoffart mit uns
 handeln.

Die Giesischen aber schenkten es jenen auch
 nicht, wie gleichfalls aus ihren öffentlichen
 Schriften zu ersehen, wie auch aus ihren eigen-
 händigen Briefen, ob sie es wohl nicht sogar arg
 machten, wie jene, wenn J. E. Menzerus an
 D. Meißnern schrieb: die tübingische gerühmte
 Jungfrau will es allein seyn. Item: Tübingen-
 geses jactitant suam illibatam virginitatem.
 Nicht weniger D. Feuerborn, von dessen Sectio-
 nibus Polycarpus Leyser Anno 26. schrieb: die
 Schrift ist langweilig, und weitläufig, sie wiße
 sen einander tapfer aufzuziehen. Er selbst
 schrieb an Meisnerum: Malumus mori, quam
 tacen-

bus, decemque belli tormentis, ac Usæc. XVII.
 faino Bassa, alioque Præfecto captis, A. C. 1621.
 ceteros pudore suffusos in sua castra
 repulerunt: Nec inde tamen animo
 fractus Osmanes, tertia post die Polo-
 norum castra totis viribus obruere ten-
 tat,

X 3

tacendo horribiles illas maculas nobis iniustas
 non amoliri. Date quæso operam, ut si com-
 mode fieri potest, vobis propior fiam & opta-
 tione conditione orner. Es waren auch beyde
 Partheyen sehr ungehalten auf diejenigen, die
 sich in den Streit nicht mengen wollten. Wie
 denn eben dieser D. Feuerborn heimlich an die
 Wittenberger schrieb: (Weil ihm die öffent-
 liche Communication mit ihnen verboten war,)
 daß man mit ihrer decision nicht eben zufrieden
 wäre. Und D. Hoe beklagte sich auch über die
 giesischen Theologos; daß sie ihn zu Studtgardt
 bey dem Recess in Verdacht gehabt hätten: Er
 aber wollte lieber um wichtiger Ursachen willen,
 neutral seyn, als seine Meynung heraus sagen.
 Es haben sich auch viel andere Theologi ins
 Mittel geschlagen, und den Streit beyzeiten
 beylegen wollen, davon noch unter andern D.
 Dieterici Zeemanni und anderer Briese vor-
 handen sind, sie klagen aber meistens, daß es
 übel aufgenommen worden, weil die Gemüther
 einmal

Sæc. XVII. tat, majori tamen pugnandi conten-
 A. C. 1621 tione, quam vincendi felicitate; Lu-
 bomirscius enim collocatis opportuno
 loco tormentis continua globorum ex-
 plusione Turcicas phalanges tam acri-
 ter lacefferat, ut amissis sex millibus
 fuga

einmal aufeinander erhitzet, und keiner die
 Schande haben wollte, daß er geirret hätte. Die
 sächsischen Theologi waren gleichfalls hierinn
 sonderlich bemühet, und stellten deswegen Anno
 24. ihrer acht, einen Convent zu Leipzig an.

Weil sie aber hierinn denen Giesischen mei-
 stens recht gaben, so schrieben die Tübinger,
 (welche sich so gut und klug zu seyn dunkten, als
 jene) alsbald eine Amicam admonitionem dar-
 auf, darinnen sie vorgaben, sie wollten in der
 Sache, nichts mehr thun, sondern es dem ju-
 dicio der streitenden Kirche überlassen. Es ge-
 schah aber nichts weniger, als dieses, indem sie
 sich selber vor die streitende Kirche hielten, und
 noch immer neue Streitschriften hievon publicir-
 ten, bis sie von den Papisten bey dem damaligen
 Krieg zu Chore getrieben, des disputierens end-
 lich vergassen. Die Sächsischen schrieben auch
 Anno 25. necessariam & inevitabilem Apo-
 logiam decisionis.

fuga salutem quærere Tartari cogeren- Sæc. XVII.
 tur: Plures ex Polonis, quam trecenti A. C. 1621.
 non cecidere, qui Turcas ad interne-
 cionem absque controversia delevif-
 sent, nisi relicto hoste ad prædam, ac
 spolia, solutis ordinibus, palantes ef-
 fundi

X 4

So mußten die Feinde der Lutheraner selbst das gräßliche Aergerniß aufheben, welches nicht einmal die hohe Obrigkeit, selbst bey denen zänkischen Gemüthern, die ihre schändliche Usurpation unter dem Namen Gottes, und der Wahrheit beyderseits ausübten, aufheben können. Dann obwohl Landgraf Ludwig dieses Schulstreits wegen, schon Anno 21. eine eigene Legation an den Herzog von Württemberg abschickte, auch in Stutgardt darauf ein Recess gemacht wurde: So wies es doch der folgende noch viel heftigere Zaak, das Gott selbst durch schwere Landplagen darein greifen mußte, ob zwar wohl der Schade desselben unläugbar groß, und greiffich genug gewesen, so hat man doch diesen usum pædeuticum zur Entschuldigung daraus nehmen wollen, man sehe hierbey die Tiefe des Geheimnisses von der persönlichen Vereinigung, und dergleichen. Wozu aber mit besserem Recht ein ander sehet, man sehe die Tiefen des Satans hierunter, der von der tiefsten Erniedrigung Christi unter

Sæc. XVII. fundi cæpissent. Accepta hac clade
A. C. 1621. Turcæ accensis castris suis, de loco
 ad suppetias novas unacum annona ad-
 vehendas magis opportuno sibi prospexe-
 re: interim vero Cofacci in Tartarorum
 quindecim millia irruentes, compre-
 hensis quingentis, quinque millia tru-
 cidarunt, bellique tormenta aliquot su-
 periori anno eis erepta recuperarunt.
 Fit denuo Osmanis jussu in Lubomirscii
 castra impetus, sed plurium cæde, &
 tormentorum novem jactura plectitur
 repetita Turcarum audacia, unde ira in
 rabiem versa, Osmanes Tribunos ob-
 jurgare, in innoxios furere, ac Janif-
 farorum plurimos tormentorum acer-
 bitate conficere cæpit: inde vero se-
 cretæ ac publicæ in eum indignatio-
 nes, resque ad seditionem spectare vi-
 debatur, quam tamen Vezirii largis
 muneribus sedare festinabant: Adven-
 tante

unter denen ein solch Wortgezänke angerichtet
 die nichts weniger als Christo in seiner Erniedri-
 gung gleich werden wollen, sondern eben mit
 solchen Hochmüthigen urtheilen, verletzern, ser-
 puliren, und disputiren, den demüthigen Jesum
 aufs neue gekreuziget, und für Spott gehalten.
 Zugeschweigen wie sowohl die anderen Partheyen,
 als das gemeine Volk sich hieran geärgert, und
 nachzusehen veranlasset worden.

tante Kirakasso Damasci Præfecto cum ^{Sæc. XVII.}
 novis militum supplementis, rursus ^{A. C. 1621.}
 Polonici castris expugnatio tentatur, sed
 nova Turcarum clade receditur: Hun-
 garis demum quibusdam castra, qua
 parte debiliora essent, hosti manifestan-
 tibus, Osmanes extremum in ea co-
 natum experiri statuit, sed denuo a
 Chotkibio Duce tam strenue exceptus,
 ut non sine ingenti jactura & pudore
 recedere cogere, amisso Budensi
 Bassa. Paulopost Chotkibius morbo
 & belli laboribus exhaustus, decessit,
 non sine merito Polonorum luctu,
 eoquod animi fortitudine, ac bellica
 experientia clarissimus, non magis ma-
 nu, quam consilio promptus, insuper
 disciplinæ militaris exactor esset seve-
 rissimus. Subrogatus eidem Lubomir-
 scijs Regis Pincerna, qui pari fortitu-
 dinis laude Prædecessoris sui famam,
 & gloriam æmulatus, postquam ei-
 dem nuntiatum esset, quod Osmanes
 in die Sancti Uladislai, qui Regii Filii
 Onomasticus erat, cum toto suo exer-
 citu Christianorum munimenta omni
 ex parte aggredi decrevisset, tanta
 strage impigros hosce aggressores tertio
 repulit, ut Turcarum Imperator Co-
 chinensi arce Moldaviæ Palatino resti-
 tuta, ac mutui doni pollicitatione pa-
 cem redimere cogere. Altera igitur

Sæc. XVII. tur die, postquam suorum plusquam
A. C. 1621. quinquaginta millia partim fame, par-
 tim gladio, morbisque deleta nume-
 rabat, cum infaustis exercitus sui pene
 exanimis reliquiis Adrianopolin rever-
 sus est, inde vero orta seditione die de-
 cima nona Decembris inglorius ac mæ-
 rore & verecundia suffusus Constantino-
 polin ingressus est. Nec tamen Polonis
 incruenta fuit hujus expeditionis glo-
 ria; quamvis enim cæsum exiguus,
 spectata tanta hostium multitudine, nu-
 merus esset, cum tamen per Tartaro-
 rum in Poloniam excursiones omni
 commeatu circumscripti, cibus aut jam-
 jam corruptis, aut equinis carnibus
 non tam famis rabiem, quam mortis
 necessitatem effugere cogerentur, mor-
 bis exin contractis plusquam sexdecim
 militari indole ferocium millia periere.

§. XCIX.

*Gustaphi Adolphi Sueciæ Regis bel-
 lum adversus Polonos.*

*Lotich. rer.
 Germ. c. 4.
 41. p. 304.
 Meteran.
 Hist. Belg.
 l. 41. p. 345.
 Bellus laur.
 Austr. p. 582.
 lib. 5.
 Merc. Gal-
 tob. t. 9. l. 2.*

Nondum Poloni Turcico hoc bello
 defuncti erant, cum eis gravior a
 tergo hostis in ipsa Regni viscera graf-
 sans, instaret Gustaphus Adolphus Sue-
 ciæ Rex. Hic celebratis cum Maria
 Eleonora Brandenburgica nuptiis, exer-
 citum viginti peditum, & quatuor e-
 quitum

quitum millibus validum sibi compa- Sæc. XVII.
 rabat, atque in Livoniam irruens, eo A. C. 1621.
 ipso tempore, quo Poloni contra Tur-
 cas apud Tyram castra fixerant, Rigam,
 munitissimam ad Sinum Livonicum ur-
 bem, arctissime terra, marique obse-
 dit, præfidiariis tertiam jamjam ho-
 stium irruptionem strenue repellenti-
 bus; cum vero ignitis globis quamplu-
 rimæ ædes in cineres redactæ, muri-
 que magna ex parte diruti subsiderent,
 aliunde vero Calvinistæ, qui in urbe
 magno numero erant, clandestina cum
 Suecis consilia cuderent, cives extre-
 mum suorum interitum deditioe ul-
 tronea redimere statuerunt, nequidem
 expectato auxilio, quod Christophorus
 Radzivilius tempestive ad Dunæ flu-
 minis oram adduxerat. Pacta igitur
 civibus Religionis libertate, salvoque
 immunitatum jure Rex urbem suis præ-
 fidiariis munivit; motisque inde castris
 Dunemundam propugnaculum arte &
 natura validissimum pariter, ac denique
 totam Livoniam, maximamque Cur-
 landiæ partem in fidem suam accepit.

§. C.

Continuati motus in Rætia.

Enimvero Grifones Calvinistæ pro- Bell. laur.
 missa nuper Catholicis Religionis Austr. l. 5.
 suæ p. 696.

Sæc. XVII. suæ libertate nil aliud intenderunt, nisi
 A. C. 1621. ut Hispanum militem a sua ditioe amo-
 verent, & Catholicos ope externa desti-

tutos, necnon securitatis fiducia delu-
 sos inopina vi obruere valerent; eo quo-
 que illorum collimasse consilia, sat lu-
 culenter testabatur eorum crudelitas,
 qua in Catholicorum Nobilium necem
 conspirarunt, inito inter se pacto, quod
 Catholicorum cæde sectæ suæ liberta-
 tem, patriamque tueri vellent. Sanguini-
 arii autem sui propositi obtentum ex
 introducto Hispano milite, & emen-
 tito reformatæ Religionis extirpandæ
 metu quærebant. Novemdecim igitur
 conjurati inopina vi arcem Ritber-
 gensem invadunt, ibique Pompeium
 Plantam Valtelinæ gentis præcipuum
 invadunt, eumque non alia ex causa,
 nisi quod Catholicus esset, & Catholi-
 corum oppressionem vindicasset, inhu-
 mana truculentia repetitis pugionum
 ictibus confodiunt: Nondum innoxii
 hujus sanguine restincta erat improba
 eorum sitis: fanatico enim periculi con-
 temptu per medias Dumlacensium &
 Urnerensium præsidiariorum cohortes
 ferro viam sibi aperiunt, ac sex alios
 Nobiles, Fortunatum Plantam, Do-
 minicum Nuderum, Bartholomæum
 Dulfinum, Amanum Bertium, Valen-
 tinum Nudium, & Joannem Adamum
 pari

Lotich. rer.
Germ. l. 10.
cap. 5.
Merc. Gal-
lob. t. 13.
lib. 4.
Lauffer
Helvet. Hist.
part. 13. l. 9.
p. 245. &
seqq.

pari crudelitate jugulant. Prospero Sæc. XVII.
 sanguinariæ hujus expeditionis succes- A. C. 1621.
 su elati nongentos circiter ejusdem fæ-
 cis Calvinistas in nefarii sceleris socie-
 tatem advocant, auctaque cum nu-
 mero ferocia Catholicos una omnes ex-
 tirpare statuunt; re comperta Catho-
 lici non nisi inviti necessariæ defensio-
 nis jure copias contrahunt, atque in
 horum latronum agmen tanta vi irruunt,
 ut cæsis eorum non paucis, ceteros in
 fugam agerent: nec inde tamen animo
 fracti rebelles, tam ex superiori, quam
 inferiori Engadinensi & Munsterthalensi
 Pago agmen conscribunt, & occupato
 munitoque transitu in Catholicos En-
 gadinenses impetum faciunt, ac die
 decima tertia Martii quinque Catholi-
 corum pagos, Dissentissem, Illant-
 sensem, Lugnitsanum, Laxensem &
 Galancensem aggressi, incolas in fu-
 gam agunt, trucidatis eorum sexa-
 ginta, captisque quamplurimis, ex
 quibus quatuor equleo suspensos, eo-
 quod Calvini sectam detestarentur,
 globis trajecerunt. Inde Ratsunium
 progressi, civibus in suas partes per-
 tractis die decima sexta Martii ad Va-
 landosum montem castra metati sunt,
 continuatoque ab hora noctis duode-
 cima ad meridiem usque prælio Ca-
 tholicos, interfectis quamplurimis, in
 fugam

Sæc. XVII. fugam conjecerunt, quos conjurati
A. C. 1621. cohortibus Curienſium, Curvaldenſium, aliorumque Pagorum aucti inſequebantur, ac die decima octava Martii Illantſium, præcipuum Catholicorum Pagum adorti, tantum urbi ac circumjacentibus populis terrorem incutiebant, ut omnes incolæ fuga ſalutem quidem quæerent, nullatenus autem invenirent; tanta enim rabie fugitivos inſequebantur, ut in itinere interceptos, ni ejurata fide & fædere Hispano ſe eis jungerent, unaomnes inexorabili crudelitate trucidarent. Inter hæc vexationum agmina, cum Catholici hominum, ſuperumque ſupplicias invocarent, tandem Mediolanenſis Gubernator eiſdem bis mille pedites, trecentosque Equites auxilio ſubmiſit: cum vero hi Bellantſiam adventantes, ob nivium copiam alpes ſuperare reformidarent, Catholici omni ope deſtituti tertio ſibi fuga conſulere parabant, aſt inſequentibus Calviniftis, cum arma projicere, atque in ipſis montium præcipitiis equos ſuos dimittere, & pedibus montium apices conſcendere cogentur, eorum potiffimi jugulati ſunt. Obtenta hac victoria, Calviniani legatos, qui incolas pro vindicando Calvinismo ad ſuam factionem jurejurando adigerent, in vallem
 Maſo-

Mafoxensem ablegarunt, quos ta-
men Hispani dissiparunt, fuderunt, & A. C. 1621.
interceperunt, sed hi paulo post tamen
a Calvinistis maximo numero confluen-
tibus retrocedere coacti sunt, compre-
hensis eorum octodecim, cæsis vero
quadraginta.

§. CI.

*Conditiones pro restituendo Veltlinio
ab Hispano Governatore
propositæ.*

Jam anno priori non modo Veneti, sed
etiam Ludovicus XIII. Franciæ
Rex Veltlinium in integrum restitui la-
borabat, hancque in rem ad Rhetios
Bassompetram Legatum suum decre-
vit, qui incommodum, quod ex hac
ditione & transitu ab Hispanis occu-
pato, Galliæ Regno imminere noverat,
avertere nitentur: Hoc cognito Fe-
riæ Dux Governator Mediolanensis
pacta, quæ itidem anno priori cum
superioris Rhetiæ legatis conceperat,
ad effectum deducere maturabat: Igi-
tur universæ Grisonum Reipublicæ se-
quentia pacis capita proposuit. I. Pax
inter Grifones & Mediolanenses perpe-
tua esset, & duodenis annis elapsis in-
stauraretur. II. Veltlinium Grifonibus,
cum omnibus privilegiis, & immuni-
tatibus

*Ferrer. Hist.
Hisp. cap. 2.
t. II. p. 343.
Bellus l. c.
Theatr. Hist.
cap. I. p. 6.*

nibus negotiis, & actionibus tam ci- Sæc. XVII.
vilibus, quam criminalibus abstinerent. A. C. 1621.

XI. Rebellionis suæ veniam rebelles haberent, nec cædis perpetratæ pœnam ullam luerent. XII. Hispanus contra Rex, mille & quingentos Ducatos quotannis Grisonibus solveret. XIII. Militem expetenti Hispano, non ultra viginti quatuor, nec minus tamen, quam duodecim vexillationes mittere Grifones tenerentur. XIV. Stipendium cum aliis commune haberent. XV. Hispanus foederatos Grifones contra omnem externam vim tueretur. XVI. Restitutio Veltlini primariis tantum Grisonibus, & iis, qui capita hæc amplecterentur, fieret, illisque patrocinium paratum esset, reliqui vero, qui tractationem hanc amplecti intra mensem unum, atque alterum non velint, pro manifestis hostibus perpetuo haberentur.

§. CII.

*Alia concordiaæ pacta a Galliarum
Regis Legato proposita.*

Cum autem Grifones Calvinistæ suam sectam e Valtelinio eliminari, & Tridentinam Synodum introduci, iniquissimo ferrent animo, avide ex Hispania redeuntem Bassompetram Franciæ Legatum

Hist. Eccles. Tom. LVII.

Y gatum

Sæc. XVII. A. C. 1621. gatum præstolabantur: Hic enim die undecima Martii Madritum appulsus, Philippum III. Hispaniæ Regem eo inducere jubebatur, ut Valtelini restitutionem Grisonibus sine mora faciendam urgeret. Verum infausta Regis mors hujus negotii successum retardabat, Philippo autem IV. Regnum moderante in Regio Senatu propositum est, ad componendos intestinos Rhetiæ motus, necnon ad Catholicam Religionem sartam tectamque conservandam nil magis expedire, quam si summus Pontifex justo pretio hanc ditionem coemeret, aut si id præplaceret, Valtelina ditio in novum Helvetiæ Pagum erigeretur: Neutra propositio arridebat Franciæ Legato, qui Valtelinum Grisonibus integrum restitui, pertinacius contendit: re igitur ultro citroque agitata tandem die vigesima quinta Aprilis decretum, ut nupera Madritensis transactio in usum deduceretur, cujus præcipui articuli erant sequentes. I. Cunctis in pristinum statum restitutis, in Valtelinio, ac Clafensi, & Wormiana ditione in Catholicæ Religionis præjudicium innovata tollerentur, ac Religio ad statum, in quo sub annum millesimum sexcentesium decimum septimum erat, revocaretur. II. Milites ad Valtelinium tam ab Hispanis, quam Grisonibus

nibus dimitterentur. III. Fœderatio Sæc. XVII.
 cum Vallensibus rata esset. IV. Gal- A. C. 1621.
 liæ, Hispaniæ, & Clafenses Commis-
 sarii ad Lucernam convenirent, factam-
 que cum fœderatis transactionem Si-
 gillis, & subscriptionibus suis confir-
 marent, literis duplici lingua Italica
 nempe, & Gallica super ea confectis.
 Expetitur præterea a fœderatis fuit,
 ut omnium, quæ facta hæcenus essent
 obliti, profugos ad possessiones suas
 redire paterentur, at illi, proditorem
 novam ab eis metuentes deliberationem
 se ea de re ulteriorem suscepturos re-
 sponderunt.

Hæc pacta, quæ Franciæ Rex Pa-
 risiis ad Montholonium suum apud Hel-
 vetios Oratorem transmiserat, hic die
 decima octava Maij congregatis Gri-
 fonibus proposuit: illorum etiam exe-
 cutionem Hispaniæ Rex, urgente Ale-
 xandro Scapio summi Pontificis Nun-
 tio, Feriæ Duci iteratis jussis deman-
 dabat. Hanc in rem Lucernæ præ-
 scripta habebantur comitia, quibus ta-
 men Calvinistæ interesse renuentes, in
 Badano Comitatu sua celebrarunt con-
 venticula: Nihilominus Franciæ Ora-
 tores, & Alberti Archiducis Legatus,
 & præprimis Scapius Papæ Nuntius
 pacem restituere, totis viribus ad labo-
 rabant, erectisque novis articulis Re-
 Y 2 ligio-

Sæc. XVII. A. C. 1621. ligionis Catholicæ securitati in Valte-
 linio magis adhuc prospici petebant;
 pagi enim Catholici Madritensis pacti
 sponsores esse veriti, totum negotium
 summi Pontificis, & Hispani, ac Galli
 Regum iudicio relinquebant. E con-
 trario autem fœderati Calvinistæ alio
 conventu Araniæ habito, litem armis
 dirimere decreverunt, contractisque
 duodecim Grisonum millibus die duo-
 decima Octobris Wormiam oppidum
 interceperunt, arcis expugnationem
 tentaturi, nisi ab Hispanis præsi-
 diariis incenso oppido non sine magna
 clade repulsi fuissent.

§. CIII.

*Leopoldi Austriæ Archiducis expedi-
 tio in Rhetiam.*

*Lotich, l. c.
 Ferrer. cont.
 p. 377.
 Gramond
 Hist. Gall.
 lib. 8.*

Sub idem tempus Rhæti justam Leo-
 poldi Austriæ Archiducis vindictam
 provocabant, eo quod paulo ante in
 locis eidem subjectis jurisdictionem
 violassent, necnon Rhazunsam Au-
 striacæ ditionis arcem deprædati essent,
 atque etiamnum quasdam civitates,
 arcesque infestarent, necnon Wormiæ
 oppido antehac expugnato præsidia im-
 posuissent: læsam igitur jurisdictionem
 suam reparari petebat Archidux, Rhæ-
 tos hortatus, ut præstita satisfactione
 immi-

imminens belli malum, quod secus ^{Sæc. XVII.}
 suæ pervicaciæ imputarent, tempesti- ^{A. C. 1621.}
 ve præverterent: Verum hi Archidu-
 cem nequidem responso dignati, vi-
 cissim sua gravamina, quibus se premi-
 dictitarunt, tolli postulabant: Tigurini
 etiam Archiducem nimix severitatis
 redarguere ausi, declarabant, quod
 suos milites revocaturi non essent, nisi
 Leopoldus suas quoque copias ab eo-
 rum finibus abduxisset, atque Hispa-
 niæ Rex prius Veltlinium in integrum
 restituisset: Tanta ergo pervicacia non-
 nisi ferro frangi poterat; quocirca die
 vigesima sexta Octobris Baglionus cum
 Brionio, & mille quingentis peditibus
 Prettigaviam invasit, incolasque in fu-
 gam egit, sed cæsis suorum ducentis
 tandem recedere coactus est; nec ma-
 gis prospera arrisit fortuna Hieronymo
 Augustino, qui in superiorem Engadi-
 nensium Pagum irruperat. Secundio-
 re autem Marte pugnaverat Austriacæ
 militiæ Præfectus Baldironius, qui
 cum octo suorum millibus, fugatis En-
 gadiensis inferioris incolis, hanc re-
 gionem longe lateque devastabat: pari
 pœna Clafenses die vigesima nona Octo-
 bris plectebat Feriæ Dux: unde Gri-
 fonum potissimi datis ad eum literis in-
 ducias petere cogebantur; annuit Dux,
 ea tamen lege, ut Deputatos plena

Sæc. XVII. A. C. 1621. transigendi potestate instructos ad eum mitterent: die igitur tertia Novembris Engadinenses, ut vocant, superiores, necnon Bergunini, Davoserani, & Meynsfeldenses sese Baldironii arbitrio dedere, pactis hisce conditionibus, ut adversus Austriacam domum nec arma fumere, aut fœdus pangere, nec Magistratum sine Archiducis consensu creare, vel amovere velint: Postea Curiensem urbem die vigesima secunda ejusdem Mensis Brionius & Rudolphus Planta ingressi, septingentorum militum præsidia imposuere, totamque Rhætiam Hispanorum ac Austriacorum imperio subjecerunt: Leopoldus demum conscripto recenti milite ad Helvetiæ fines concessit, Calvinistæ autem suæ causæ diffisi, unacum Prædicantibus suis Tigurum, Basileam, & ad alia loca sectæ consortio sibi juncta magno numero profugerunt.

§. CIV.

Hugo Grotius suæ uxoris astu e carcere liberatus.

Jæger hist. Eccl. l. 1. cap. 14. *Newill. hist. d' Holland. t. 1. p. 220.* *Theatr. Hist. cap. 4. p. 73.* Inter tot barbara in mutuas civium fratrumque cædes ruentium sitibunda molimina, haud injucundum erit inspergere præclarum humanitatis specimen, quo se posteris commendatam reddi-

reddidit Hugonis Grotii conjux: Hic Sæc. XVII.
A. C. 1621.
 propter Arminianæ factionis tutelam,
 integro jamjam biennio in arce Löwen-
 steinensi captus hæserat, omni alio
 captivitatis suæ solamine destitutus,
 præter Mariæ Reigersbergæ uxoris suæ
 consortium, & literarum studium: ut-
 rumque autem Grotio saluti erat; cum
 enim indulgente carceris Præfecto li-
 bros sibi ab Amicis suis commodatos
 perfæpe in quadam cista valde oblonga
 unacum linteis, aliisque necessariis re-
 ciperet, perlectosque in eadem cista
 ad Amicos remitteret, hanc quidem
 semper ac sedulo perscrutabantur satel-
 lites, cum autem præter libros & lin-
 tea nil unquam reperiissent, toties ex-
 plorata fides omnem tentandæ fraudis
 metum custodibus ademit: proin haud
 ultra recludebatur cista: Opportune
 vero hæc ipsa securitatis fiducia Rei-
 gersbergæ Maritum liberandi consilium
 suggestit, placuitque, ut Grotius ei-
 dem cistæ inclusus ex arce ad navem
 deportaretur: ne vero ex satellibus
 quempiam tunc cistam inspiciendi li-
 bido incesset, uxor aliquot ante dies
 Grotium adversa valetudine pressum
 lecto affigi spargebat: percommoda e-
 tiam consilio accidit absentia Locum-
 tenentis, qui, quamvis captivorum
 curam haberet sibi demandatam, Heis-
 denium

Sæc. XVII. denium tamen pro conscribendo milite
 A C. 1621. proficisci jussus erat: Absentis igitur
 conjugem Reigersberga accedit, sup-
 plex, ut proxima feria secunda cistam
 libris Arminianis refertam ex arce a-
 tiorum transferri sibi liceret, eoquod
 ejus Maritus assidua horam lectione vi-
 res suas nimium debilitaret: Annuit
 illa, moxque die decima tertia Maij
 Grotio in cista incluso, ejus uxor mili-
 tes advocat, rogans, ut hanc cistam
 per scalas deportare, atque ad navem
 advehere velint. Obsequium haud re-
 cusant illi, ast majus solito pondus eo-
 rum uni suspicionem ingessit, atque ad
 Grotii uxorem, ejusque Famulam frau-
 dis consciam dixit: *in hac cista utpote
 gravissima, Arminianus quidam latet, cui*
 tamen Reigersberga mox respondit,
 libros duntaxat Arminianorum in ea
 contineri: Augetur tamen suspicio, ac
 militum unus cistam aperiri petit, pro-
 hibitus vero a Reigersberga, Locumte-
 nentis uxorem adit, quæ tamen eidem
 respondit: *nil nisi libros esse inclusos asse-
 ruit Grotii uxor, agite igitur, & adve-
 hite eam ad navim:* Paruere milites,
 depositaque cista abierunt; Ancilla au-
 tem illam feretro impositam Goriche-
 mum in cujusdam Amici ædes deferri
 curabat, ubi Grotius e referata cista
 egressus, ac murarii vestes indutus,
 Wal.

Meteran.
 l. 41. Hist.
 Belg. p. 322.

Walwicum Brabantiae urbem, inde-
 que Arminianorum ope suffultus, Ant-
 verpiam venit: interim Ancilla Gori-
 chemo reversa, Dominæ suæ prospere-
 ram Grotii fugam recensuit: Ne tum
 quidem patuit dolus; vigiles enim,
 etli pro more cibos tam in prandio,
 quam in cæna mensæ apposuisent, Gro-
 tium, quem non viderant, in anteriori
 cubili lecto decumbentem, vel in Mu-
 seo studiis vacantem credidere, ejus
 uxore id ipsum asseverante: ast Gro-
 tio rursus non invento vigiles Locum-
 tenentem ex itinere reversum de cap-
 tivi absentia monent. Hic ergo Grotii
 uxorem, quo Maritus lateret, inter-
 rogat, cui illa respondit, *vobis est quæ-
 rendus; scitote autem, quod ex cavea avis
 evolarit, sæpe etiam prædixi vobis, nos
 elabendi occasionem inventuros: detecta
 igitur fraude illico Gorichemum mit-
 tuntur, qui Grotium ex fuga reduce-
 rent, ast elusa horum solertia, in frau-
 dis ultionem in eodem carcere Grotii
 uxor, capta detinetur, paulopost ta-
 men inde liberata, cum tota suppel-
 lectili domum reversa est. Ita demum
 Grotius carcerem, paratam sibi mor-
 tem, simulque Gommaristarum sævi-
 tiam ingeniose, uti eum decebat, e-
 vasit, non incongrue librorum pon-
 dus*

Sæc. XVII. dus in cista repræsentans, qui vivens
 A. C. 1621. viva sui ingenii Bibliotheca erat.

§. CV.

Hugo Grotius a Franciæ Rege liberaliter exceptus.

Recuperata libertate Grotius Antverpia ad Generales Hollandiæ Status literas dedit, significans, quod omnibus creaturis communi jure suam quaesisset libertatem, & disruptis nequidem vinculis: de cetero autem nil foederato Belgio perniciosum moliri intenderet: sub idem quoque tempus suæ calamitatis fata, & exitum Parisios ad Ludovicum XIII. Franciæ Regem perscripsit, *Newill. l. c.* cujus jussu Verræus Regii Sigilli Præfectus, & Jeanninus Præses eundem de Regis in eum benevolentia certiores reddidere: Lutetiam igitur delatus, summis honoribus excipitur, nec non annua mille aureorum pensione honoratur: Profuit quoque hujus Viri fama ceteris Arminianis, qui patria sua extorres in Franciam confugerant; perceptis enim iniquis vexationibus, quibus a Gomaristis pene excarnificati erant, Rex non modo in suo Senatu eorum causam vindicabat, sed liberam in Regno commorandi, suamque sectam exercendi facultatem

eis

eis indulgebat, ringentibus licet Hu-
gonotis, qui utpote Rupellanæ rebel-
lionis fautores, ac seditionis æstu fer-
ventes, Arminianos tanquam hære-
ticos, & in Synodo Alesiana sacro, si
Superis placet, fulmine percussos plus-
quam vatiniانو infectabantur odio, eo-
quod Synodum Dordracensem abomi-
nati ab Ecclesia Romana minus, quam
ceteri Calvinistæ circa Prædestinatio-
nis doctrinam secederent.

Hunc Virum in Communione Ca-
tholica anno Christi millesimo sexcen-
tesimo quadragesimo quinto obiisse, exi-
stimant nonnulli; id omnino certum
est, eundem in exilio ex evolutis Ca-
tholicorum libris, & ex commercio
cum eruditis Catholicis, necnon ex tæ-
dio & odio Calvinismi, & fors etiam
ex summo pacis & concordiæ studio
potius ad Catholicam fidem, quam ad
quamcunque aliam sectam propendisse:
scripsit etiam in summi Pontificis favo-
rem de Anti-Christo: vere etiam Ca-
tholico calamo & animo conceptus vi-
detur ejus liber *de veritate Religionis Chri-
stianæ*; in quo Grotius cuncta, quæ
celeberrimi Catholicæ fidei defensores
Justinus, Athenagoras, Tertullianus
aliique ad convincendos impios & in-
fideles protulere, summa exactitudine,
efficacia, & ordine congeffit. Refert
quo-

Sæc. XVII.
A. C. 1624.

Briet. An-
nal. Mundi
t. 7. p. 519.

Sæc. XVII. quoque Maurerius, quod moribundus
 A. C. 1621. colloquium cum Sacerdote Catholico
 instituerit, & Prædicantem Calvinia-
 num ad se advenientem non admiserit;
 Philippus quoque Brietius de hoc Viro
 ita scripsit; *in eo vix hæretici quicquam
 fuit, præter externum cultum & nomen,
 quæ etiam parabat ejurare, ut significavit
 mihi, & Dionysio Petavio, idque fecisset
 maturius, nisi ad Ecclesiam comitator, li-
 cet forte imprudenter, redire malisset.*
 Unicum, quo Calvinistæ Grotium in
 eorum secta decessisse sibi blandiuntur,
 argumentum desumunt ex Joannis Qui-
 storffii Prædicantis Rostochiani epistola
 ad Colovium, in qua ille recenset, se
 moribundo postremam præstitisse ope-
 ram, ac Grotium ab ipso admonitum,
 se peccatorem, & Publicanum fuisse
 professum, atque in solo Christo om-
 nem sibi spem esse repositam dixisse:
 Num vero non itidem Catholici omnes
 mori desiderant in communione Christi,
 extra quam nulla salus, & in quo solo
 tanquam primario Mediatore unicam
 salutis suæ spem reponunt? Quocirca
 haud immerito Antonius Arnaldus fa-
 cete Quistorffium redarguit, quod Gro-
 tium, in qua communione vel Eccle-
 sia Catholica, Calviniana, Lutherana
 &c. mori vellet? interrogare oblitus
 sit: magis adhuc ridicula est Clerici
 respon-

responsio, dicentis, quod Quistorffius id non interrogarit, eoquod Grotium in communione Christi mori velle agnoscens, cetera superflua fore crediderit, cum non in communione Pontificis, aut hujus vel illius Ecclesiæ salus sit reposita. Verum adeo infulsa est hæc responsio, ut etiam recens quidam Protestantium Scriptor hæc addiderit: *valde dubito, hanc rationem fuisse Quistorffio, cum ab illa quæstione abstinerit, quæ tamen necessaria fuisset erga Virum, quem ipsi ob dogmatum varietatem, & doctrinas multas Calvinistis & Lutheranis adversas, quas paulo ante & sæpius vulgaverat, nulli Ecclesiæ satisfecisse scribunt: Unde haud mirum, quod tota Quistorffii relatio studiose conficta a non paucis credatur, eadem forte venia, qua mortalibus frequenter talia comminisci assuetis, nemo facile fidem habet, ne tunc quidem, cum verosimilia loquuntur.*

Sæc. XVII.
A. C. 1621.

§. CVI.

*Angliæ Ordinum comitia a Jacobo I.
Rege celebrata.*

Hoc item anno die vigesima tertia Januarii Jacobus I. Angliæ Rex comitia celebrabat, ad quorum initium sermonem habuit, cujus prolixitas

Le-
ctori cap. 1.

Meteran.
Hist. Belg.
l. 41. p. 312.
Lotich. rer.
Germ. l. II.
cap. 1.

Sæc. XVII. stori tædium crearet, proin ea duntaxat, quæ ad instituti nostri rationem faciunt, huc adducemus: postquam igitur Regiam auctoritatem ipso etiam, ut vocant, *Parlamento*, ac comitiis superiorem esse pronuntiaverat, rumorem dissipare nitebatur, quo ipse nuptias filii sui cum Hispana Principe conciliandi studio Religionem Catholicam tolerare dicebatur: *absit a me*, inquit, *ut quicquam SANÆ RELIGIONI adversum, aut noxium aggrediar: mentis meæ testes sunt tot mea scripta, propter quæ tanquam verus Martyr a maledicis linguis cruciatus sui.* His dictis fatebatur, quod Religionis necessitas ipsum ad Palatinatum suo Genero armis vindicandum compellat, cum autem sine prompto pecuniarum subsidio id præstare nequiret, hinc ab Ordinibus ejusmodi suppetias petebat; *cum a vobis*, inquit, *Rex, nil obtinere possim nisi mendicando, perinde acsi de elargienda elemosina ageretur: quoniam vero inferioris, ut vocant, Curia Procere* identidem Religionis Protestanticæ causam in Bohemia periclitari, Regi inculcassent, ipse imperterrita fronte eisdem reposuit, falsum esse, quod hujus infausti belli causa fuerit Religionis vindicandæ studium: „Deus sit mihi testis. aje-
bat Rex, quod hujus belli initium nec
„sua-

Thoiras
Hist. d' Angl.
l. 18.

„suaserim nec foverim, imo percepta
 „violentia Ministris Cæsareis illata, Sæc. XVII.
A. C. 1621.
 „audita etiam Generi mei electione
 „utramque reprobavi: præceps & im-
 „prudens hujus coronæ acceptatio a
 „Genero meo maleconsulto facta, hæc,
 „hæc, non autem religio existit causa
 „hujus belli: Dicitis, agi de Religio-
 „ne, hoc credat diabolus; ego autem
 „mihi persuadere nequeo, quod pro-
 „pter Religionem jus, atque adversus
 „Principes suos rebellandi potestas sub-
 „ditis competat, Christus subditos non
 „rebellionem, sed obedientiam docuit.
 „Hi ausus non ex Religionis Zelo, sed
 „regnandi ambitione profecti sunt: in-
 „juria fieret nostræ Religioni, si ipsius
 „fractus speciosi forent ejusmodi con-
 „silia, ut sub obtentu Religionis Reges
 „e thronis ejicerentur, & Regna com-
 „mutarentur: ejusmodi Religio nol-
 „lem, ut subditis meis instilletur, hanc
 „doctrinam Jesuitis non invidemus:
 „Ego autem adduci nequeo, ut Bohe-
 „miæ Regnum Genero meo asseratur,
 „quod haud gravate præstarem, si æ-
 „qua esset ipsius causa: iniqua autem
 „Hungarici & Bohemici Regni usurpa-
 „tio Pontifici & Catholicis ansam præ-
 „buit, ut multa Calvinistarum millia
 „gladio perierint. „ Plura hanc in rem
 „protulit Rex, qui, postquam petitam
 pecu-

Sæc. XVII. pecuniarum summam, quam a vide ex-
 A. C. 1621. pectavit, receperat, die vigesima sexta
 Martii alio sermone grates rependit.

§. CVII.

Inferioris Curiae libellus ad Regem.

*Meteran.
 pag 341.
 Lotich. &
 Rapin Thoi-
 ras l. c.*

Ineunte Mense Julio Rex hæc comitia
 interrumpi voluit, Ordinibus ad diem
 primam Decembris convenire iussis:
 Rege autem tum adversa valetudine
 presso Inferioris Curiae Proceres scri-
 ptotenus suas querelas exposuere, haud
 veriti, in Catholicam Religionem vel-
 uti diaboli officinam, & Seminarium,
 necnon in Hispanæ dominationis, seu
 Monarchiæ introducendæ consilia, Cal-
 viniana prorsus moderatione invehere:
 Hujus scripti summa hæc erat: „Do-
 „lenter referimus, quod exteri Prin-
 „cipes a nostra Religione alieni, dum
 „de pace concilianda agitur, in Prote-
 „stantium Religionis excidium, & Re-
 „giæ dignitatis, tuarumque prolium
 „ruinam sua molimina exequi festinent:
 „Inde Papiæ recusantes (*) animati,
 „numero & impudentia indies non sine
 „magno Regni damno crescunt. Ea-
 pro-

(*) Ita vocabantur Catholici, qui impo-
 situm juramentum de suprema Regis auctori-
 tate in Sacra exsolvere recusabant.

Sæc. XVII.

A. C. 1621.

„propter Regiæ suæ Majestati horum
 „malorum causas, simul & remedium
 „exponimus: Causæ igitur sunt I. am-
 „bitio & solertia Romani Pontificis, &
 „Hispani Regis charissimi sui Filii, quo-
 „rum primus spiritualem suam pote-
 „statem extendere, & alter vastam
 „Monarchiam stabilire nituntur. II.
 „Doctrinæ damnandæ, quibus Papis-
 „mus innititur, & quas hic ad usum
 „deducit. III. Calamitosa Protestan-
 „tium conditio in exteris Regionibus.
 „IV. Ludibrium de infausta sorte Re-
 „giæ Filiae. V. Principum Catholico-
 „rum fœdus pro suæ Religionis aug-
 „mento, & nostræ ruina initum. VI.
 „cujus caput Rex Hispanus validos
 „alit exercitus. VII. Spes amplæ,
 „quas Papistæ *recusantes*, de nuptiis
 „Regii Filii cum Hispana concipiunt.
 „VIII. Potentes Principum exterorum
 „preces pro recusantibus Papistis. IX.
 „Concursus Papistarum ad Legatorum
 „ædes, & Sacella. X. Immodicus
 „eorum numerus, & crebra conven-
 „tacula Londini habita. XI. Educa-
 „tio suarum prolium in exteris Colle-
 „giis, quæ pro profugis Papistis stabi-
 „lita sunt. XII. Promiscua Papistarum
 „libros typis vulgandi licentia, XIII.
 „Immodicus Sacerdotum & Jesuitarum
 „numerus per totum Regnum diffusus,

Hist. Eccles. Tom. LVII.

Z

„cum

Sæc. XVII. „cum hi tamen sint Christianæ Rei-
A. C. 1621. „publicæ Cinifiones. „ Ex his causis
 mala Ecclesiæ & Regno admodum per-
 niciosa fore oritura ajebant, & qui-
 dem. I. „Quia Papistarum Religio
 „spectatis principiis cum nostra subfi-
 „stere nequit. II. Quia hæc necessa-
 „rio infert ineluctabilem dependentiam
 „a Principibus exteris. III. Quia ex-
 „peditum ad factiones in Regno cien-
 „das medium unicuique suppeditat.
 „IV. Quia illa quietis impatiens sem-
 „per ulterius serpit, & quidem a con-
 „niventia ad tolerantiam, ab hac ad
 „æqualitatem, ab æqualitate ad supe-
 „rioritatem, & denique ad veræ Re-
 „ligionis everfionem (*).

His malis pessimi hi Consultores
 sequentia proposuere remedia. I. Prom-
 pte contra Papistas Rex gladium strin-
 gat. II. Bellum tanquam exterorum
 Protestantium Protector strenue profe-
 quatur; inde enim futurum ajebant,
 quod uniti Principes per adversa fata
 dissipati, rursus conjungantur. III.
 Has belli flammæ Rex latius propa-
 get, nec subsistat in locis, quæ dun-
 taxat

(*) Quod Protestantes, non vero Catho-
 lici ejusmodi consilia foveant, patet ex An-
 haltinæ Cancellariæ verbis, vide supra Lib.
 CXCI. §. 31. pag. 116.

taxat ad exhauriendum ærarium, & Sæc. XVII.
 ad enervandas populi sui vires confe- A. C. 1621.
 runt. IV. Bellum præcipue gerat
 contra Regem Hispaniæ Palatinatus
 invasorem. V. Rex leges contra Pa-
 pistas recusantes factas ad executionem
 deducere curet. VI. Ad eludendam
 Papistarum spem Filius Regius Filiam
 Protestantium Religioni addictam mox
 ducat. VII. Nobilium Filii trans Ma-
 re degentes statim revocentur, eisquæ
 deinceps nulla emigrandi licentia con-
 cedatur. VIII. Rex Religionis liber-
 tates Catholicis concessas revocet.

§. CVIII.

*Regis responsum ad insolens hoc Cu-
 riæ rescriptum.*

Primis horum comitorum auspiciis
 Rex jamjam Curix inferiori signi-
 ficari curabat, quod consilia suggerendi
 auctoritatem nullatenus sibi arrogaret:
 hoc igitur illius scripto Regiam suam
 prærogativam fuisse læsam arbitratus,
 quamprimum de hoc Curix ausu edo-
 ctus erat, mox ad Thomam Richard-
 sonum Curix Oratorem literas dedit,
 eidem præcipiens, quod hoc scriptum
 a nonnullis perturbatoribus conceptum
 proponere non auderet; probe enim
 perspectum habebat Rex, quod factiosi

Sæc. XVII. hi homines eundem suo scripto redar-
 A.C. 1621. guerent, perinde ac si Regni & Reli-
 gionis bonum negligeret, Papistas to-
 leraret, bellum pro recuperando Pa-
 latinatu, non autem pecunias ad illud
 abhorreret, ac denique Filium suum
 cum Catholica conjungendo sectam
 flocci haberet. Verum Curia Patres
 Regis interdicto minime parendum rati,
 unacum scripto suo libellum quoque
 supplicem Jacobo porrexere, nil nisi
 bellum & arma suadentes. Ablega-
 bant duodecim Deputatos, quos Rex
 admodum aspere excepit, ac duodecim
 thronos pro eis erigi iussit, per ludi-
 brium asserens, hos omnes esse Angliæ
 Reges: Recepit quidem ab eorum ma-
 nu libellum supplicem, respuit ta-
 men virulentum illud scriptum contra
 Catholicos: Postea vero, cum aures
 suas superbo hoc subditorum sermone
 violari nollet, scriptotenus hæc eis re-
 spondit. „Exponitis imminens Reli-
 „gionis periculum, & in hoc meam
 „Regni administrationem suggillatis.
 „Vos, qui populum repræsentatis,
 „cum subditis amorem erga Regem in-
 „stillare deberetis, aversionem inspira-
 „tis. Taceo, quod vos cum vobis-
 „metipsis repugnetis: superiora vobis
 „usurpatis, & tamen Regium jus vio-
 „lare, vestrarum non esse partium as-
 „seri-

„feritis, necnon de nuptiis Regiis, de Sæc. XVII.
 „meo honore & securitate, de prolium A. C. 1621.
 „mearum patrimonio, de religione &
 „Regno consultare, ad vos pertinere
 „dicitis: sed respondeo, vestræ omni-
 „potentiæ nihil deesse, nisi ut etiam
 „Papæ habeatis claves ad cælos & Pur-
 „gatorium. Eadem quoque auctori-
 „tate in Scotia Prædicantes sibi totam
 „arrogabant jurisdictionem, obtenden-
 „tes, quod de scandalis judicare,
 „Ecclesiæ sit. Risu insuper dignum
 „est, vos declarare, quod Regis Hispani
 „honorem lædere nolitis, quem ta-
 „men ad universalem Monarchiam ad-
 „spirare dicitis: Religionis neglectum
 „mihi objicitis, sed quanta pro repri-
 „mendo Papismo non præstiti? modus
 „autem congruus non est Religionis
 „bellum, nec violenta Papistarum ve-
 „xatio, qua Principes Catholicos ex-
 „asperare possemus, eisque ansam da-
 „remus, ut & ipsi in suis ditionibus
 „vicissim Protestantes vexarent. Papi-
 „stis non parcimus, si insolescunt: Ad
 „vos non spectat Regi exercitato, cle-
 „menti, benigno & sapienti leges præ-
 „scribere, quomodo sit regnandum, *su-*
 „tor ne ultra crepidam: An non potius
 „pudore suffundi deberetis, dum Re-
 „gum, Principumque Secreta ri-
 „mari, dum in Regum amicitias, ac

Sæc. XVII. „necessitudines curiosa imprudentia in-
 A. C. 1621 „quirere præsumitis? Ad altiora illa,
 „qui neque nati, neque facti estis, in-
 „tra cuticulam maneatis, neque sensu-
 „bus, ac iudiciis vestris eminentiora
 „appetatis. „

„Itane pacis ubertas, commoditas-
 „que, vobis Anglis, sub miti hætenus,
 „ac florenti mea gubernatione, exola-
 „est, & tædio est, ut cæco impetu bellum
 „illud, minime bellum, omnibus vo-
 „tis accersatis? Si quiete frui nescitis,
 „inquam, arma vobis nimis mature
 „hanc felicitatem expectorabant. Sed
 „de regii filii matrimonio vobis curæ
 „est! Scilicet hoc consilium vobis mo-
 „lestum est, quod cum Rege Hispania-
 „rum amicitiam sancire præcogitamus?
 „Ergone neque ingenuus, neque Li-
 „ber, neque Rex ego sum, ut absque
 „vobis filio regio nubere integrum non
 „sit? Quis nunc, agite, vel cum Rege,
 „super amicitia, super fœdere, aliis-
 „que pactis deinceps agat, si modo
 „ille legibus Senatus alligetur, si sui
 „compos haud existat? credite mihi,
 „non alia regio folio, quam hæc, ma-
 „jor inuritur sive macula, sive vilitas?
 „Gallorum aliquando Regem inter-
 „rogate. Hic ubi cum Principibus a-
 „liis transigere vellet, negavit hoc sibi
 „licere insalutata curia sua. Quid ho-
 „noris

„noris inde retulit? Hoc scilicet, ut Sæc. XVII.
 „deinceps contemneretur ab omnibus, A. C. 1621.
 „neque quisquam amplius pactis cum
 „eo experiri vellet, tanquam Principe,
 „sibi non constante. Semel vobis om-
 „nibus dico, atque edico, eousque,
 „super filii nuptiis, cum Rege Hispa-
 „niarum nobis transactum esse, ut bo-
 „na fide, nisi alia intervenerint, quæ
 „mutare nostrum non est, pedem re-
 „trahere nequeamus. Ceterum, ut
 „prævideo, accusatis disparitatem re-
 „ligionis. At vos rogo, si ita altum
 „sapitis, fingite aliam, & quidem fi-
 „lio regio æqualem, cui nubat, quo
 „cum tædas contrahat? Si non habe-
 „tis materiam Pythagoricam, adite
 „disciplinam: Et per tot annos audire
 „discite, antequam liceat interrogare.
 „Absque hac nunc modestia vestra fue-
 „rit, ut neque interpellatio vestra Regi
 „grata esse queat, neque vos digni si-
 „tis, qui in Conspectum, atque allo-
 „quium meum admittamini? Hæc o-
 „ratio Curiae Patrum arrogantiam ad-
 „eo non fregerat, ut adversus Regis de-
 „clarationem jactantius propugnarent,
 „quod Parlamenti privilegia & jurisdic-
 „tiones sint vetus & indubium ac hæ-
 „reditarium Anglorum jus, & de caus-
 „sis, pactis Regem, Ecclesiam, & Re-
 „gnum concernentibus cognoscere, Par-

Sæc. XVII. lamenti officium sit: hanc suam declara-
 A. C. 1621. tionem ad tabulas referri urgebant, quo
 comperto Rex Senatum dissolvi, &
 supremum Curiae Judicem cum quin-
 que aliis in carceres conjici jussit, ce-
 teros vero tanquam homines inquietos & perduelles increpans, eorum de-
 clarationem nullam & irritam pronun-
 tiavit. Inde vero in Anglia duæ orie-
 bantur factiones ad hanc usque diem
 propagatæ, quarum prima, quæ *Torys*
 seu rigidi appellantur, Regiam pote-
 statem pro viribus extendere nititur,
 altera vero, quæ *Wigths* (*) seu Mo-
 derati vocantur, populi jura pro aris
 & focus extollit.

§. CIX.

*Extremum Roderici Calderoni Mar-
chionis supplicium.*

Meteran.
 l. c. p. 330.
Theatr. Eu-
 rop. p. 705.
Ferrer con-
 tin. cap. 1.
 p. 368.
 tom. 44.

Vivum erat inconstantis fortunæ si-
 mulacrum Rodericus Calderonus,
 qui ex Francisco Calderono gregario
 milite natus, ac Lermæi Ducis famu-
 lus

(*) *Wigths*, desumptum a *Wigh* signifi-
 cat hostem supremæ potestatis: *Thorys* ve-
 ro adversarium seu reclamantem, hodie *Tho-*
rrys factionis seu Aulicæ adhærent potissimum
 Anglicano ritui addicti; alteri autem factioni
 Non-conformistæ,

lus in Hispaniæ aula vix non omnes Sæc. XVII.
 honorum apices emetiebatur; primo A. C. 1621.
 enim Regii ærarii Præfectus, dein se-
 creti literarum commercii Minister,
 Ordinis Sancti Jacobi Eques, Olivæ
 Comes, ac denique Siete Iglefiæ Mar-
 chio renuntiabatur; Verum ipsa hæc
 fortuna præceps proximi præcipitii pe-
 riculum præfagebat; Calderonus enim
 solito humanæ, quæ in prosperis luxu-
 riat, felicitatis vitio ceteros Nobiles
 contemnere, cunctaque ad suum ar-
 bitrium per fas nefasque disponere cæ-
 pit: unde potentiorum odium, invi-
 diamque in caput suum accersens, pri-
 mo Reginæ gratia excidit, Secretarii
 munere privatus: Prævalente autem
 Lermæi Ducis auctoritate, & Marga-
 retha Regina fatis functa interruptum
 felicitatis cursum profecutus, non mo-
 do Comitis ac Marchionis honoribus
 decorabatur, sed etiam in pristinam
 dignitatem restitutus singularem Regis
 gratiam sibi conciliabat: Quoniam ve-
 ro rarus est Principis favor sine Auli-
 corum æmulatione, populi odio, &
 clientis excidio, sic quoque Rodericus,
 quamprimum Lermæus Dux Philippi III.
 gratia exciderat, & ipse Regis offen-
 sam incurrit, mortuo autem Rege,
 Philippi IV. ejus Filii jussu in carceres
 die vigesima Februarii conjectus est,

Sæc. XVII. uxore, ejusque liberis Madritensi urbe
 A. C. 1621. emigrare jussis. Tandem Mense Se-
 ptembri vinculis onustus, Madriti in
 propriis suis ædibus arcte custodiebatur,
 instructis interea in eum judicii actis:
 Hærebat integro biennio in carcere, ac
 tormentorum vi excarnificatus de gra-
 vissimis postulabatur criminibus: Tum
 primum experiebatur Calderonus, quod
 nulla felicitas vel adversus invidiam,
 vel adversus ream conscientiam sat
 valida sit; quippe ab æmulis, falso ta-
 men, accusabatur, quod Reginam ve-
 neno, regem fascino, & innocuos
 non paucos suppliciis affecerit: de his
 autem sceleribus, cum convinci non
 posset, crimini dabatur, quod pecula-
 tus veniam a Philippo III. per nefas
 extorsisset, ac promota Francisci Ivaræ
 nece, Regium Satellitem, & Augu-
 stinum de Avila interfecisset. Hæc ob
 crimina Judices hanc in eum pronun-
 tiarunt sententiam, ut dimidia suorum
 bonorum parte Regio ærario addicta,
 necnon numerata bis centies quinquaginta aureorum millium multa, annuis a Rege Philippo III. concessis redditibus, omnibusque honorum ac munium titulis orbatus capite plecteretur. Ab hac sententia Calderonus quidem ad Regem provocabat; prævaluit tamen ejus divitiis inhiantium libido, ac
 indo-

*Miræus
 comm. de
 bello Belg.
 pag. 25.*

indomita vindictæ cupiditas: quocirca Sæc. XVII.
 Calderonus singulari animi constantia A. C. 1624.
 propudiosæ mortis nuntium excipit,
 ac coram quodam Carmelita Excal-
 ceato facta præteritæ ætatis accusatio-
 ne veniam a Rege & misericordiam a
 Deo interfluentibus lacrimis deposcit:
 tandem vero die vigesima prima Octo-
 bris mulo impositus ad supplicii locum
 deducitur, ubi etiam capite truncatus
 est: Ejus tamen corpus vespere a peg-
 mate ferali sublatum Vallisoleti apud
 Carmelitas Discalceatos in tumulo a
 se jam antea constructo repositum fuit.
 Eo enim ab Aulæ curis semotus anno
 millesimo sexcentesimo decimo nono
 contenderat, ibidemque exstructo Pa-
 latio & Monasterio reliquos vitæ suæ
 dies transigere meditabatur.

§. CX.

*Cardinales septem a Gregorio XV.
renuntiati.*

Sextus vix effluxerat dies, a quo Gre- Ciacom. in
 gorius XV. ad summi Pontificatus vita Gre-
 apicem evectus, suum ex Fratrem Ne- gorii XV.
 potem Ludovicum Ludovisium apud
 Sanctum Petrum Cardinalium Collegio
 adscripsit, adjecto Titulo S. Mariæ
 Transpontinæ: Præter hunc autem
 die decima nona Aprilis quatuor alios
 Præ-

Sæc. XVII. Prælatos Romana decorabat Purpura,
 A. C. 1621. ex his primus erat Antonius Junior Cae-
 tanus patria Romanus Henrici Cardi-
 nalis Nepos, ex Capuano Episcopo
 Cardinalis Presbyter tit. S. Pudentia-
 næ. II. Franciscus Sacratus, Pres-
 byter Cardinalis tit. S. Matthæi in Me-
 rulana. III. Franciscus Boncompa-
 gnus, Cardinalis Diaconus tit. Sancti
 Angeli in Foro Piscium, demum vero
 S. Eustachii. IV. Hyppolitus Aldo-
 brandinus patria Romanus, Clemen-
 tis VIII. Pronepos, Cardinalis Diaco-
 nus Sanctæ Mariæ Novæ. Eodem an-
 no hic idem Pontifex in Palatio Quiri-
 nali die vigesima prima Julii duos alios
 Presbyteris Cardinalibus cooptavit,
 Lucium Sanseverinum, patria Neapo-
 litanum, & Marcum Antonium Goza-
 dinum natione Italum, Bonnoniæ
 ortum.

§. CXI.

Petri Aldobrandini Cardinalis obitus.

*Ciaccon. in
 vita Cle-
 mens VIII.
 Ughel. in
 Ital. Sacra
 Coccinus in
 Hist. Eccl.*

Novos Cardinales creandi necessita-
 tem imposuisse videtur funestus
 octo Purpuratorum decessus. Hos in-
 ter primus die decima Februarii seu
 ipsa, qua Gregorius XV. Pontifex fue-
 rat renuntiatus, die mortalitatem exiit
 Petrus Aldobrandinus. Hic Clemen-
 tis

tis VIII. ex Fratре Nepos Romæ natus, Sæc. XVII.
 ibidemque tam in pietate quam literis A. C. 1621.
 enutritus expleto ætatis suæ anno vi-
 gesimo primo Cardinalis renuntiatus
 est: Tam arduos pro Sede Apostolica
 labores alacri animo, & assidua soler-
 tia juvenis adhuc sustinuit, ut oneri
 succubisset, nisi ætatis cursu ac vigo-
 re velocior fuisset virtutum cursus, in-
 genii felicitas, consilii prudentia, re-
 rumque gerendarum solertia ac dexterita-
 tas. His dotibus instructus sine armis
 & sanguine Ferrariensem ditionem Ro-
 manæ Ecclesiæ restituit, bellique flam-
 mas inter Henricum IV. Franciæ Re-
 gem, & Carolum Emanuelem Sabau-
 diæ Ducem extinxit. Erat quoque
 beneficus in pauperes, quorum pedes
 Anni sacri tempore lavit, ac quondam
 ob Tyberis inundationem inopia pres-
 sis necessaria subsidia in cymba vectus
 haud vulgari pietate subministravit:
 præterea Ecclesiam Ravennatensem,
 cujus Archipræsul erat, censibus, &
 magnifico sacello auxit, Avenione Sa-
 cellum Aldobrandinum elegantius ex-
 ornavit, Romualdinis Eremitis vale-
 tudinarium, Theatinis Ravennæ Mo-
 nasterium, & Romanis Pharmacopæias
 pro pauperibus erexit. Diem perdi-
 disse arbitrabatur, qua suis Amicis nul-
 lum beneficium præstitisset, aut nul-
 lam

lam

Sæc. XVII. lam ex D. Thomæ summa lineam le-
A. C. 1621. giffet. Nec talis, tantusque Vir nævo
 caruit; carpitur enim tanquam vin-
 dictæ cupidus, supremi imperii avi-
 dus, sibique demandata auctoritate ab-
 usus, non tanquam Ecclesiastici & Tem-
 poranei, sed hæreditarii Principatus
 Minister supremus: cumque eidem om-
 nia largiter suppeditaret naturalis in-
 genii felicitas, literatorum, quos qui-
 dem colebat, consilia raro exquisivit,
 rarius quoque secutus est: nec super-
 biæ calumniam evasit; quippe etiam
 erga Cardinales elatior erat, præfer-
 tim suo patrocinio promotos: Mortuo
 Clemente VIII. sub Pauli V. Pontifica-
 tu in Aldobrandino ad imperia nato
 truncata erat dominandi facultas, non
 tamen voluntas, unde uti regno assue-
 tus nullumque ne minimum quidem
 contemptum ferendo par, Roma relicta
 Ravennam concessit, ibidem tamen a
 Provinciæ Præsidibus contumeliis la-
 cessitus, in Sabaudiam exulare coactus
 est, tandem Ravenam reversus: inde
 autem Paulo V. Pontifice vivis erepto
 concitatis equis, quatuor dierum iti-
 nere Romam venit, ubi absolutis co-
 mitiis sequenti nocte asthmate jam
 aliunde laborans, contracta ex itinere
 febri obiit, in Æde supra Minervam
 tumulatus.

§. CXII.

Sæc. XVII.
A. C. 1621.

§. CXII.

*Ladislai de Aquino Cardinalis de-
cessus.*

Biduo post eodem fato Romæ in Vati- *Ciacon. in*
 cano Palatio Purpuram cum vita *vita Pauli V.*
 exiit Ladislaus de Aquino Nobilis Nea-
 politanus, qui Theologiæ ac Jurispru-
 dentix doctrina clarus a Pio V. variis
 beneficiis, a Gregorio XIII. Venafrino
 Episcopatu, & a Paulo V. legatione Hel-
 veta, & demum Romana Purpura de-
 coratus est: Magna ob scientiæ lega-
 lis præstantiam valebat auctoritate,
 atque in variis, quibus præerat, Con-
 gregationibus haud vulgaria suæ inte-
 gritatis, & doctrinæ specimina edidit,
 totum sese in Ecclesiæ obsequium &
 utilitatem proximi exhauriens, unde
 improspera fruebatur valetudine, ante
 senium senex, atque ob nimias lucubra-
 tiones, vigilias, & literarios labores
 enervis. Demum Paulo V. fati functo
 comitia sacra ingressus, cum præ La-
 dislao nullum Pontificatus honoribus
 propiorem fore crederent non pauci,
 præter eum nemo alius propior erat
 morti ac tumulo; quippe in ipso comi-
 tiorum loco, qua senio qua morbo ex-
 haustus, die duodecima Februarii an-
 no ætatis suæ septuagesimo quinto in
 ipse

Sæc. XVII. ipso depluentis in sinum imperii artia
 A. C. 1621. culo sublimius ad folium a superis e-
 vocatus est.

§. CXIII.

*Jacobus Sannesius Cardinalis
 mortuus.*

*Ughel. in
 Ital. Sacra.*

Ejusdem fati necessitate ex hac vita
 sexagenario major migravit Jacobus
 Sannesius Bellfortii Camerinenfis Diæ-
 cesis oppido natus. Hic in utroque
 jure versatissimus, regnante Clemente
 VIII. varia obibat munia, ac Romæ
 Petri Aldobrandini beneficio honorifi-
 cis dignitatum gradibus honestatus,
 primo Vaticanæ Basilicæ Canonicus,
 dein Sacræ, ut vocant, Consultæ Se-
 cretarius, ac Protonotarius Apostoli-
 cus renuntiabatur, demum postquam
 in gravibus Sanctæ Sedis negotiis in-
 genii, corporisque vires absumperat,
 tandem a Clemente VIII. Cardinalium
 Collegio adscriptus est, postea a Pau-
 lo V. Urbevetano auctus Episcopatu,
 quem etiam usque postremum obitus
 diem, qui erat vigesimus Mensis Fe-
 bruarii, cum summo gregis sui pro-
 ventu rexit: Vir erat ob morum pro-
 bitatem, vitæque integritatem cunctis
 percharus, & nemini unquam molestus.

§. CXIV.

Sæc. XVII.
A. C. 1621.

§. CXIV.

Benedicti Justiniani Cardinalis extrema.

Hunc brevi sequebatur Benedictus Justinianus Genuensis Patritius in Insula Chio natus. Hic altero ætatis suæ anno hac Insula a Turcis expugnata, a piis Parentibus suis Romam deportatus, humaniores ibidem literas didicit, demum Perusiæ ac Patavii utriusque Jurisprudentiæ summa cum laude operam navans, Genuæ Doctoratus laurea decoratus est. Mortuo Patruo suo Vincentio, percelebri ex Ord. F. F. Prædicatorum Cardinale, a Gregorio XIII. plura ejusdem beneficia, necnon Curiæ Romanæ officia adeptus, demum a Sixto V. Purpuram, & perpetui Thesaurarii dignitatem obtinuit. Fungebatur etiam Asculana & Picena Legatione, qua dimissa a Clemente VIII. gravissimis Ecclesiæ negotiis Romæ præficiēbatur, ubique singulari prudentia, comitate, humanitate, consilio & probitate conspicuus. Nec minus sibi cognita habebat hujus Viri merita Paulus V. qui eidem gravissimam legationem Bononiensem imposuit, haud pœnitendo selectus facti successu; quo enim indies magis ardui

Marrac. in
Purp. Vi-
torell. in
addit. ad
Ciacon.*Hist. Eccles. Tom. LVII. Aa oc-*

Sæc. XVII. A. C. 1621. occurrerent labores, Justinianus seipso
 quotidie valentior testatum reddebat,
 ab animi magnitudine plerumque cor-
 poris quoque robur vigere, nihilque
 esse tam arduum, quod impiger labor,
 & agendi dexteritas superare nequeat;
 quippe populum antehac turbis & cæ-
 dibus assuetum blanda morum severi-
 tate tam feliciter cicurabat, ut toto,
 quo hac legatione fungebatur, tem-
 pore nunquam ad tormenta, capita-
 lesque pœnas quempiam aut Nobilem,
 aut Scholarem, aut civem deposcere
 cogeretur: vitiorum enim cursum siste-
 bat legibus oppido salutaribus, quibus
 etiam hodiedum Successores hanc ci-
 vitatem regere solent: otium quoque
 eliminabat erecto Bononiæ studio, ac
 denique populi indignationibus præca-
 vebat, provida frugis in plures annos
 provisæ copia, necnon justitiæ Studio,
 & immoto jurium cultu: Præcipue ta-
 men valebat ad tantam Regiminis fe-
 licitatem in Deum religio, & pietas
 erga pauperes: omnes enim reditus
 suos aut in Divini cultus incrementum,
 aut egenorum sublevamen vel ipse di-
 stribuit, vel testamenti tabulis reliquit:
 Beatissimam quoque Virginem hære-
 dem dixit, quinquaginta scutorum mil-
 lium, quam pecuniam in pios quosdam
 usus Laureti impendi, ac pauperibus
 puel.

puellis in dotem, necnon Studiosis in Sæc. XVII.
 honestam stipem distribui voluit: No- A. C. 1621.
 bilibus quoque pauperibus, singulis du-
 centa scuta constituit, si qui Cæno-
 bium ingredi anhellarent: Præterea
 et si Justinianus in ope egenis ferenda
 nunquam parcus esset, Sabbatis tamen
 in Beatæ Virginis honorem pie prodi-
 gus videbatur; in una enim ejusmodi
 die septem miserorum millibus muni-
 fica manu succurrisse fertur. Obiit Ro-
 mæ die vigesima septima Martii anno
 ætatis suæ sexagesimo septimo: Refert
 recentior quidam Historicus, hunc
 Cardinalem defunctum fuisse ex animi
 mœrore inde concepto, quod Pontifi-
 catus honorem concurrentibus amico-
 rum suffragiis sibi deferri sperans, cum
 in postremis comitiis ne quidem nomi-
 naretur, tam luculentam repulsam a
 simulatis amicis concoquere non po-
 tuerit, unde conquestus de injuria e
 comitiis cum indignatione se prori-
 piens illico post Gregorii XV. electio-
 nem ex mœrore decesserit: Hæc si
 vera sunt, raro in terris honores sine
 ambitionis fœcibus fluere, si falsa, ra-
 ro virtutem ab æmulorum calumniâ
 vacuam esse patet.

Sæc. XVII.
A. C. 1621.

§. CXV.

*Ludovicus Guisus Cardinalis fati
fundus.*

*Meteran.
hist. Belgii
l. 41.
Gramond.
Hist. Franc.
p. 406.*

Dies vigesima prima Junii Ludovici Guisii Lotharingii Principis, ac Cardinalis vitæ exitialis exstitit. Hic suffragante generis nobilitate vix pueritiam egressus, pro more illius Patriæ in Francia præter plurimas, ut vocant, Commendas & Abbantias Archiepiscopus Rhemensis, necnon ad Henrici IV. Regis preces Cardinalis Presbyter a Paulo V. renunciatus est, verum brevi Pontificem hujus electionis poenituit; hominem enim creaverat, qui præter exornatum Sandionysianæ Abbatiæ Templum nil unquam Cardinale dignum gesserat, atque ex Romana Purpura, sacroque caractere parum laudis reportaverat, militiam affectans impatiens sui; nec tamen miles erat, quia Cardinalis, nec Cardinalis, quia miles; contendebat insuper de Prioratu Caritatenfi cum Duce Nivernio, litemque coram Judice Delegato vi armata dirimere voluit, Nivernium ipsemet ictu percutiens. Præterea in Engeriaca obsidione militiæ Præfectum egit in castris, sæpe ferrum stringens in hostem: Referunt nonnulli, quod paulo

paulo ante obitum suum Purpuram cum Sæc. XVII.
 Hierosolymitana Cruce commutare vo- A. C. 1621.
 luerit, væcordi in arma libidine actus:
 prius vero, quam hoc animi propo-
 situm exequeretur, in Engeriacensibus
 castris morbo correptus, paucis post
 diebus apud Sanctones, quo defereba-
 tur, die vigesima prima Julii fato
 functus est, annos natus triginta no-
 vem: Magno tamen antea actæ vitæ do-
 lore, mox moriturus receptis Ecclesiæ
 Sacramentis veniam offensæ a Niver-
 nio Duce petiit, animamque Deo com-
 mendavit, christiane admodum mor-
 tuus, qui aulico luxu, & militari li-
 centia aliquamdiu vixerat. Ea, quæ
 illi pro reditu annuo centena aureo-
 rum millia obvenerant, in Fecanum
 Abbatem ipsius ex fratre Nepotem, te-
 stamenti tabulis transtulit.

§. CXVI.

*Joannis Baptistæ Bonfii Cardinalis
 fatum.*

Sequentis Mensis die quarta Romæ Sanmarth.
 anno ætatis suæ sexagesimo septi- Gall. Christ.
 mo e vivis excessit Vir suo munere di- Ciacon. in
 gnus, probus, pius & vere Ecclesiasti- vita Pauli V.
 cus Joannes Baptista Bonfius patria
 Etruscus. Hic optimis literis Patavii
 imbutus, ac Doctoris honoribus in utro-

Sæc. XVII. que jure insignitus, aliquamdiu in Ro-
 Sæc. 1621. mano foro Caussidicum egit: cum ve-
 ro Francisco & Ferdinando Magnis
 Etruriæ Ducibus apprime charus esset,
 ad sedandas inter Clementem VIII. &
 Ferdinandum Ducem limitum contro-
 versias arbiter electus est, qua lite fe-
 liciter dirempta, quamvis ætate im-
 par, ingenio tamen maturus a Duce
 Senatoria dignitate auctus est: dein
 Biteras appulsus, hacque Episcopali
 Infula ornatus, Diæcesin suam recupe-
 ratis feudis & Toparchiis, Bibliotheca,
 & monasteriis Fratrum Minimorum
 & Recollectorum auxit, optimisque
 in visitatione sanctionibus imbuit, &
 Clerum instruxit: ejus quoque ope ex
 suo grege quamplurimi, qui in hæresum,
 bellorumque civilium tenebris diu ja-
 cuerant, tandem emerferunt: Postea
 annuente Ferdinando Duce ab Hen-
 rico IV. Franciæ Rege ob nuptias cum
 Maria Medicæa conciliandas in Italiam
 decretus, re feliciter peracta, ab ea-
 dem supremi Eleemosynarii honore, &
 bina Abbacia remuneratus est. Demum
 Rege ac Regina petentibus, a Paulo V.
 Sacro Purpuratorum Collegio adscri-
 ptus, Romæ pluribus, & arduis pro
 Sede Apostolica, & Galliarum Regno
 negotiis summa cum laude defunctus
 est, eximia ubique candoris, pruden-
 tiæ,

tiæ, pietatis & integritatis specimina Sæc. XVII.
 relinquens, quibus prærogativis cla- A. C. 1621.
 rus diuturnam litem, qua Jesuitæ Mo-
 niales ad S. Spiritum vexaverant, nul-
 lo negotio diremit: Tandem vero me-
 ritis plenus obiit, Florentiæ in æde
 Sancti Michaelis Patrum Clericorum
 Regularium, seu Theatinorum se-
 pulchus.

§. CXVII.

*Roberti Bellarmini Cardinalis
 mors.*

Ceteris magis inclaruit Robertus Bel- Dupin. Bibl.
 larminus ex Cinthia Marcelli II. nouv. des
 Papæ Sorore Montis-Pulitiani natus. Auth. Eccl.
 Hic decimo octavo ætatis anno Socie- pag. 18.
 tatem ingressus, & a Cornelio Janse- Abregé de
 nio Gandavensi Episcopo sacro Presby- l'hist. Eccl.
 teratus Ordine initiatus, Lovanii Theo- t. 10. p. 311.
 logiam tradidit, ubi latino idiomate Aubert. Mi-
 ad erigendos animos potentes atque ad ræus comm.
 perfringendas dissonas voluntates tam de Bello Bo-
 penetrabiles habuit sermones, ut An- hem. p. 10.
 gli & Hollandi Protestantes eum ex- Et Cat.
 cepturi accurrerent. Inde vero in Ita- Script. Sæ-
 liam reversus, a Gregorio XIII. Papa cul. XVII.
 in Collegio a se recens erecto Polemi-
 cum agere jussus est. Comitabatur e-
 tiam Sixti V. jussu Henricum Caeta-
 num Cardinalem in Franciam, ut exi-

Sæc. XVII. gente necessitate cum Hæreticis in a-
 A. C. 1621. renam descenderet: Romam reversus
 varia tam in Societate, quam in Ro-
 mana Curia obiit munia, tandem a
 Clemente VIII. Cardinalis, & tertio
 post anno Capuanus Archipræsul re-
 nuntiabatur, quam tamen Ecclesiam,
 postquam a Paulo V. Romæ morari
 jussus est, ultra dimisit. Fervente, e-
 tiam controversia Dominicanos inter
 & Jesuitas de gratiæ auxiliis, Bellar-
 minus, etsi pluribus in locis gratiæ
 efficaciam ex libero arbitrio determi-
 natam sacris literis & D. Augustino ad-
 versari docuisset, nihilominus hæredi-
 taria Societatem & Socios quovis pa-
 cto tuendi lege adstrictus, Molinisti-
 cum Systema ab Apostolicæ damnatio-
 nis fulmine pro viribus defendit, si-
 mulque æquo animo tulit, quod sui
 Superiores in ejus libro quædam sen-
 tentiæ Thomisticæ nimis faventia ad
 Scholæ suæ genium correxerint. Hoc
 autem anno post absoluta comitia in
 morbum incidens e Palatio Vaticano
 die decima sexta Augusti ad Jesuita-
 rum Collegium ad S. Andream delatus
 est, ubi etiam die decima septima Sep-
 tembris annos natus septuaginta no-
 vem pie in Domino obiit. Exeunte
 hoc sæculo Jesuitæ hunc Virum Beatis
 adscribi petebant, ac in ejus virtutes
 inquit

*Bell. l. I. 2.
 de Grat. &
 lib. arbitr.
 c. 12. & 14.*

inquisitione habita, res ad Cardina- Sæc. XVII.
 lium & Consultorum Congregationem A. C. 1621.
 die vigesima septima Julii anno Christi 1621.
 millesimo sexcentesimo septuagesimo
 septimo rursus relata est: ubi tamen
 Præside Flavio Chigio ex septendecim *Vid. Supra*
 Cardinalibus decem, & ex novemde- *l. 186. §. 124.*
 cim Consultoribus sexdecim de heroi-
 cis Bellarmini virtutibus constare pro-
 nuntiabant, postea rursus anno salutis
 nostræ millesimo septingentesimo unde-
 cimo hæc caussa agitabatur, irrito suc-
 cessu, cum vehementer non minus ac
 solide suam oppositionem tueretur Ac-
 ciajulus Cardinalis, & circa annum
 1754. doctissimus Cardinalis Domini-
 cus Passionæus, in suo suffragio præ-
 cipue epist. 3. Bellarminum de violato
 secreto, & quadam fictione circa Sixti V.
 Biblia reum postularet. Exstat quo-
 que Bellarmini testamentum ad caus-
 fas pias factum; se enim hanc testandi
 facultatem a Clemente VIII. die octava
 Aprilis accepisse ipse declarabat. Pri-
 mum testamentum se, dum esset Ca-
 pupæ Archiepiscopus, eo autem abro-
 gato alterum, ac demum sexagesimo
 nono ætatis suæ anno die 23. Januarii *Lexic. Uni-*
 Anno 1611. tertium condidisse ait; *vers. Basil.*
 hæredemque, uti facile conjectari po- *lit. B. edit.*
 tuisset, instituit universalem, Domum *1742. Weis-*
 Professam Romanam Societatis Jesu: *man. Hist.*
 famu- *Eccl. Sæ-*
 cul. XVII.

Sæc. XVII. famulis vero suis nonnisi ad quadra-
 A. C. 1621. ginta dies pro pane, vino, & *compa-*
natico pecunias suppeditari voluit, imo
 ne minimum quidem pro auxilio ani-
 mæ suæ reliquit, ne *nimis modicum ad*
Professam domum, ut ipse scripserat, *hæ-*
redem suum perveniat. Ex genuinis hu-
 jus testamenti tabulis, quas integras ad
 manus habeo, putidi mendacii convin-
 cuntur Basileenses Lexicographi, som-
 niantes, quod Bellarminus in suo te-
 stamento mediam animæ suæ partem
 B. Virgini, alteram Christo Domino
 reliquerit. *Ex officina Sathanae prodeunt*
tales calumniæ, ut hic prostituere possit ve-
ritatem per imprudentem & malitiosam cre-
dulitatem: ita Weismanus scriptor Pro-
 testanticus.

§. CXVIII.

Ejusdem Cardinalis opera.

Graveff. p. 2.
Hist. Eccl.
t. 7. p. 167.

Palmare opus inter doctissimas Bel-
 larmini lucubrationes sunt illæ
 controversiæ, adversus ævi sui Secta-
 rios: Enituit in his singularis modera-
 tio, vastaque eruditio: unde non mo-
 do inter Catholicos, sed ipsos etiam
 Protestantes tantum sibi conciliavit no-
 men, ut Beraldus integrum Bellarmini
 Vindicum ac Panegyristarum Catalo-
 gum concinnarit, quamvis ex utraque
 reli-

religione non pauci numerarentur, qui in hujus Cardinalis operibus multa perperam asserta indicarunt, atque inter Catholicos præcipuus est Joannes de Launoi. Ceterum intra novem annorum spatium Ingolstadii & Lugduni quinque prodiere editiones Polemici hujus operis in tres tomos divisi. Ipsemet vero Auctor opus suum recognitum, Venetiis imprimi curabat, juxta cujus editionis normam, uti Bellarminus caverat, Parisiis anno millesimo sexcentesimo secundo, prima & sexto post anno altera vulgata est, quæ postrema editio ceteris correctior, amplior autem Coloniensis, quæ tam anno 1615. quam 1617. impressa fuit: Carpitur in hoc opere præcipue Bellarminus circa doctrinam *de potestate summi Pontificis*, hicque tractatus jussu Sixti V. ad Indicem librorum prohibitorum rejectus est, ex quo tamen postea expungebatur: Adversarium quoque habuit Bellarminus Guilielmum Barclaium, contra quem aliud ejusdem argumenti opus edidit, de cujus tamen fato jam supra mentio ingesta est. Nonnullis etiam ridiculus videtur hujus Authoris Limbus parvulorum, quem, licet in inferno ædificarit, nihilominus tanquam agrum floridum, lucidum, odoriferum, & jucundum depingit, suam

Sæc. XVII.
A. C. 1621.

Vid. Supra
l. 158. §. 131.
p. 574. t. 542

Sæc. XVII. suamque structuram S. Birgitæ, Dio-
A. C. 1621. nysii Carthusiani & Blossii ideis fulcit.

Præterea circa Prædestinationem, pro-
ut in *novioribus* legitur editionibus, do-
cet, quod gratia efficax *moraliter* de-
terminet humanam voluntatem, dum
in iis conceditur circumstantiis, in qui-
bus Deus prævidit, quod illa effectum
suum sit sortitura: valde autem arido
utitur calamo, dum Prædeterminatio-
nem Physicam refellit: Denique Nico-
laus Comnenus Papadopolus Patavi-
nus Doctor Bellarminum plagii postu-
lat, eo quod quædam in rem suam ex
Bessarione exscripserit suppresso ejus-
dem nomine. Porro magna cum fidu-
cia, & haud minore jactantia refertur,
optasse quosdam Catholicos, ut hæc
Bellarmini opera supprimerentur, eo-
quod hæreticorum argumenta nimis
valida, responsiones autem nimium in-
firmas proposuerit, idque Bentivolium
Card. ex ore Perronii Card. sæpius au-
divisse, imo ipsum etiam Bellarminum
desuper monitum dixisse, id inde oriri,
quia in mysteriis fidei humanum cap-
tum superantibus, faciliora sint, sen-
sui argumenta, quæ impugnant, quam
responsa, quæ defendunt, ac propterea
Bellarmini controversiæ in Bibliothecis
quidem asservari posse, a populo
autem promiscue legi periculosum esse:

Ve-

*Mythag.
Prænotat.*

Verum faceſſant cum ejuſmodi thraſo-
 nismis Philiftæi hi Goliathi, quorum
 argumenta tantum ideo valent, quia
 ea valere putant; deme ab eis ſophis-
 mata, æquivocationes, & criſpatæ
 diſtinctionis cincinnos & phaleras, me-
 hercle, ipſorum argumenta haud ab-
 ſimilia erunt arbori foliis uberrimæ,
 fructibus vacuæ. Deſtinatus erat con-
 tinuandis Bellarmini controverſiarum
 tomis Ptolomæus Cardinalis, de cu-
 juſ labore ſibi plurimum pollicebatur
 Leibnizius. Præter hoc opus Polemi-
 cum inſuper Bellarminus edidit com-
 mentarium valde eruditum in Pſalmos,
 Gravesonius tamen obſervat, quod
 plurima hauſerit ex Genebrardo, & in
 ſuos commentarios derivarit. Scripſit e-
 tiam varios ſermones, non quidem
 multum eloquentes, doctrinis tamen
 morum uberrimos: Corringius quoque
 alias Bellarmini rigidus oppido Cen-
 ſor, ejuſdem tamen librum *de Scripto-
 ribus Eccleſiaſticis* tanquam *eximium* com-
 mendat: nec minus præſtans eſt ejuſ
 tractatus *de gemitu columbæ*. De ſcri-
 ptis ejuſ pro interdicto Veneto, & con-
 tra Jacobum I. Angliæ Regem jam alibi
 mentionem fecimus. Cetera opuscula,
 quorum ingens eſt numerus, exacte in-
 dicata habentur apud P. Alegambe S. J.
 in Bibliotheca ſcriptorum Societatis
 Lit. B. §. CXIX.

Sæc. XVII.
 A. C. 1621.

*Essais de
 Theodic.
 Prefa.*

*Vid. Supra
 l. 187. §. 7.
 & §. 23.*

Sæc. XVII.
A. C. 1621.

§. CXIX.

*Bartholomæi Cæsi Cardinalis
obitus.*

*Ciaton. in
vita Clem.
VIII, Mar-
rac. in Purp.*

Postremus inter Purpuratos, qui hoc anno decessere, erat Bartholomæus Cæsius, quamvis aliqui obitum ejus adsequentem rejiciant annum. Hic patria Romanus post humaniores literas Perusiæ Jurium Doctor creatus, Romæ variis præficiebatur officiis, in quibus omnibus haud vulgarem nominis sui gloriam sibi conciliabat, ab ipso Sixto V. æquo meritorum arbitro plurimum commendatus *ob eximiam Doctrinam, fidem, justitiæ Zelum, integritatem, & singularem probitatem*, quarum virtutum suffragio Purpuram Romanam emeruit. Hac dignitate auctus, ad magis ardua Ecclesiæ negotia animunt adjicere jubebatur, in omnibus tamen ipsos Pontifices Clementem VIII. & Leonem XI. Encomiastes habuit, & quamvis regnante Paulo V. nulla valeret auctoritate, imo extra urbem semper ruri degeret, eo tamen defuncto a Gregorio XV. ejusque Nepote magnis celebrabatur encomiis, non modo domesticis, sed præcipue publicis admotus negotiis. Tandem vero Tibure, quam Ecclesiam Episcopus vix per

per quatuor Menses regendam susce- Sæc. XVII.
perat, die decima octava Octobris an- A. C. 1621.
no ætatis quinquagesimo quarto de-
cessit, Romæ in Familiæ suæ Sacello
in Liberii Basilica sepultus.

§. CXX.

*Sententia Parisinæ Facultatis circa
quasdam propositiones de fide &
jurisdictione Episcopali.*

Die prima Martii hoc anno sacra Fa- Argentor
Concl. &
jud. Facult.
Theol. t. 2.
pag. 130.
cultas Theologica Parisiensis sua
habebat comitia, in quibus quosdam
selegit Magistros, qui nonnullas pro-
positiones, quæ in Trecorensi Diæcesi
e suggestu ad populum prolatæ dice-
bantur, mature examinarent; interea
die tertia Maij duo libelli supplices ei-
dem Facultati porrigebantur, & qui-
dem primus Episcopi Trecorensis, qui
de ejusmodi propositionibus querēba-
tur, alter vero Patris Ludovici a San-
cto Francisco Carmelitæ Discalceati tum
Prioris Duacensis; cum enim hic Pater
in Bearnensi Principatu ex Calvinianis
parentibus natus, ut hæresin ejuraret,
Romam delatus fidem Catholicam,
& Theresianum institutum amplexatus
esset, indeque in Gallias redux ob pie-
tatis ac scientiæ eminentiam ingens
sibi nomen comparasset, ægerrimo fe-
rebat

Sæc. XVII. rebat animo, quod quidam maledici
 A. C. 1621. has propositiones a se enuntiatas fuisse,
 sparsissent: quocirca suo, fuique Ordinis honori consulturus, Facultati comprobatum reddidit, quod hæcæ assertiones a veritate, omnique ratione adeo alienas existimaret, ut tantum abesset, eas a se unquam fuisse in sermonibus ad populum evulgatas, quin ipsemet eas censura gravissima dignas omnino judicaret: Præfata igitur die Facultas Theologica censuras harum propositionum a Magistris pronuntiatas unanimi suffragio approbat: Erant autem hæc assertiones. I. „Nec Trecorensis, nec „alius quispiam Franciæ Episcopus Ordinis exempti Religiosos excommunicare, vel a Missæ celebratione, vel „Sacramentorum administratione, ubi „cunque voluerint, præpedire valet: „*Hæc propositio, censebat Facultas, ita generaliter prolata, est falsa, scandalosa, & S. auctoritati Episcoporum injuriosa.* II. Prohibitio præfati Episcopi contra „eos, qui dictis Religiosis ornamenta „sacra subministrabant, aut post hoc interdicitum Missas celebrari curabant, „est contraria sententiæ pro libertate „conscientiæ, ab Henrico IV. Rege „pronuntiata; „ de hac propositione Facultas hoc iudicium tulerat: *Ea est falsa, inepta, & Catholico nomini indigna.*

Pro

Proscriptis hisce propositionibus Facul- Sæc. XVII.
A. C. 1621.
tas de libello supplici tam Episcopi,
quam P. Prioris nil esse pertractandum
censuit, eo quod tum duntaxat de do-
ctrina, non autem de doctrinæ Autho-
re ageretur: Eadem vero die Facul-
tas damnavit alias propositiones, quas
Lemovicensis Episcopus denunciabat
his verbis conceptas. I. *Credo in
Deum, vel credo in unum Deum, non est
articulus fidei*: hanc vero propositionem
esse hæreticam censuit Facultas. II.
*Peccatorum fides est similis fidei dæmonum,
& patet ex illo S. Jacobi: Dæmones cre-
dunt, & contremiscunt*: de ea Facultas
pronuntiabat, quod hæc propositio ge-
neralis comparativa sit falsa, temera-
ria & scandalosa.

Præterea die secunda Julii Parisien-
sis Curia statuit, ut ad Facultatem
Theologicam nec exteri FF. Mendican-
tes, nec indigenæ ultra præscriptum
numerum admittantur: die autem pri-
ma Septembris censuit Facultas, non
decere, ut quispiam ex Magistris Theo-
logicæ Facultatis approbet libellos a
mulieribus compositos. Secunda de-
mum Octobris die Regium Procurato-
rem monendum censebat Facultas, ut
impediat, ne Bethleni Gaboris impiis-
simi rebellis effigies cum elogiis cir-
cumferretur.

Hist. Eccles. Tom. LVII. Bb §. CXXI.

Sæc. XVII.
A. C. 1621.

§. CXXI.

Argentinenfis Academia novis privilegiis a Cæsare audita.

Lotich. rer. Germ. p. 259. Merc. Gallob. t. 9. l. 2. Meteran. l. 41. p. 337. Bellus laur. Austr. p. 563. Theatr. Europ. p. 579. Anno Domini millesimo quingentesimo trigesimo octavo Argentinenfis Republica Academiam erexerat, quam Maximilianus II. Imperator anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo sexto præclaris donaverat privilegiis, ea tamen hoc anno Ferdinandus II. Cæsar instantibus Electore Moguntino, & Ludovico Hassiæ Landgravio auxit, concessitque, ut Universitas non modo omnium Facultatum Doctores, Magistros, & Baccalaureos, sed etiam Poetas laureatos creare valeret: Igitur die vigesima secunda Augusti ex Prædicantibus unus in Templo ex primo Danielis capite concionem habuit inauguralem, & ridicula profus applicatione Magistratum Nabuchodonosori, Doctores Asphenezo & Malesaro eunuchorum Præpositis, Academicos autem Danieli, Ananiæ, Misaeli & Azariæ comparavit. Quid ad hæc dixisset Frater Gerundius Zotes? Demum die vigesima quarta ejusdem Mensis hæc Privilegia solemniter fuere promulgata. Hanc vero solemnitatem prævenerat Rinthe-
lensis

Sæc. XVII. castris morbo correptus, ac Tirnaviam
A. C. 1621. delatus, paulopost ibidem decessit. E-
 rat Vir animi fortitudinæ, & immota
 in Cæsarem fide clarus, qui in rebelli-
 bus Hungaris ad pacem revocandis,
 atque Imperatori reconciliandis haud
 parum, incassum licet, laborabat, cui
 tam in Palatini dignitate, quam in
 pacis, & reconciliationis studio hæres
 sequenti anno successerat Stanislaus
 Thurzo de Bethlenfalva, ejus tamen
 cognatus Emericus Thurzo egregius
 pacis promotor, jam Mense Octobri
 non sine veneni suspitione in comitiis
 Nicoleopoli decessit. Nimis præma-
 tura morte pariter hoc anno Mense Fe-
 bruario decessit Cosmas II. Magnus E-
 trurixæ Dux nonnisi triginta & unum
 annos natus. Princeps erat ingenio
 quam corpore vegetior, cujus Filius
 Ferdinandus II. decem circiter anno-
 rum puer sub tutela Avixæ, Matris, &
 Patruï cura in magnam spem adoleve-
 rat. Migravit quoque e vita, Caro-
 lus Albertus Luynæus Marchio, Vir
 ob fortunæ blandientis favores longe
 celebratissimus, Ancræi in Regis gra-
 tia, & absoluta dominandi auctoritate,
 non item in ejusdem infortunio suc-
 cessor. Hic humili loco natus, variis
 artibus Ancræum, æmulum suum Re-
 gis favore, ac demum vita privavit,
 se

se vero miseri hujus spoliis, & immo-
 dica Regis liberalitate locupletavit: Sæc. XVII.
 A. C. 1621.
 Erat ejus indoles nec in odia, nec in
 ingratitude proclivis, calide etiam
 præcipuos Regni Principes ac Proce-
 res sibi beneficiis devincire intentus,
 ipsam etiam Reginam, quam tamen
 sibi valde exosam noverat, palam of-
 fendere reformidabat, de Regis patro-
 cinio tutus adversus omnes invidæ for-
 tis casus. Ita Austriacæ Domui fave-
 bat, ut tamen Gallici Imperii augmen-
 tum non negligeret: demum novo
 profus exemplo, nec unquam antea
 emensus militiæ tyrocinnia, Franciæ
 Comestabilis eligitur, inde omnium
 indignatio, & proxima Luynæi ruina,
 nisi potentior fuisset Regis favor, quo
 insuper Franciæ Cancellarius nomina-
 tus est, sagæ & togæ simul sibi impe-
 rium vendicans. Tandem vero decli-
 nante vitæ curriculo sensim fortunæ
 cursus ad exitium properabat; genui-
 na enim fortunæ indoles est, in ætatis
 vigore sensim deficere: Præprimis
 igitur Luynæus ab æmulis milita-
 rium stipendiorum pecunias in alios
 usus convertisse, ac ideo solutæ
 Montalbanæ obsidionis caussa ex-
 stitisse insimulabatur; unde Luynæus
 præter omnem expectationem Regis
 erga se animum labefactatum experie-
 batur;

Bb 3

batur;

Sæc. XVII. batur; adeo Regis clientibus vel semel
 A. C. 1621 titubasse periculosum est: illico succes-
 serat aliorum contemptus, pluraque in
 eum mordaci lingua jam libere conge-
 rebantur: tandem morbus, quo Longæ-
 tilliæ correptus erat, æmulis gra-
 tus, Luynæo autem ex animi mærore,
 ni forte, ut rumor ferebat, ex propi-
 nati veneni violentia exitialis indies
 ingravescebat, minore, quam creditum,
 Regis luctu: nondum animam exhal-
 laverat Luynæus, cum jam ipsum de-
 fererent Amici, familiares, Medici,
 & qui certatim paulo ante litaverant
 adultæ, dum erecta stabat, Regii clien-
 tis fortunæ, nunc cadentem execran-
 tur, & abdicant: soli assistunt morienti
 duo, ejusque oculos cladunt, Ruffe-
 lagus Abbas, & Contadus, reliquis
 ejus gratiam ejurantibus: deficientibus
 quoque cereis & Syndone, hi duo ea
 ære suo compararunt: Cadaver vero se-
 cundo anne Burdegalam sine omni
 comitatu in vectum, seditionis metu
 clam in portu reclinatur, nulloque fu-
 nebri apparatu ad Turonensem agrum
 infertur feudo Moliacæo, cui a Luy-
 næo nomen est. Hic tandem exitus
 fuit Viri, quem ad summos apices for-
 tuna præceps evexit, ut eum citiore
 lapsu in præceps ageret: breve erat
 Luynæo rei Gallicæ imperium, ple-
 risque

risque exolum, paucis acceptum. An-
 no sequenti Marecallus Lesdiguerius
 in fidei quatuor Franciæ regibus ser-
 vatiæ præmium Franciæ Commestabi-
 lis ensem accepit; hic enim non modo
 Sectariorum Rupellensium factionem
 jam antea abdicaverat, sed etiam Cal-
 vini errores, quibus a teneris imbu-
 tus erat, provecta jam ætate in mani-
 bus Episcopi Embrodunensis exuit, in
 Ecclesiæ Romanæ sinum confugiens.
 Denique feliciter migravit ad Deum
 Anna a Jesu, quæ ex nobilissima Hi-
 spana propagine Principum de Lobera
 & de Torres orta Carmelitarum Discal-
 ceatarum institutum professa est, &
 prima apud Gallos & Belgas hujus
 Ordinis Monialium Domicilia constru-
 xit, ac Bruxellis non sine vulgaris
 sanctitatis opinione decedens acceptam
 Deo & hominibus memoriam reliquit.

§. CXXIII.

*Serenissimæ Archiducissæ Austriæ An-
 næ Julianæ mors.*

Specialem memoriam sibi vindicare
 videtur pietas, Religio ac pretiosa
 mors Serenissimæ Annæ Julianæ Ar-
 chiducissæ Austriæ. Hæc Mantuæ, ac
 Montisferatensis Ducis Filia Ferdinan-
 do Archiduci Austriæ & Tyrolis Co-
 miti

*Annal. Ord.
 Serv. cent. 4.
 l. 7. c. 7.*

Bb 4

miti

Sæc. XVII. A. C. 1621.
 miti desponsata totam sese pietatis o-
 peribus addixit, largasque egenis e-
 leemosynas distribuens, necnon Eccle-
 sias pro Divini cultus incremento va-
 riis ornamentis locupletans, invictum
 ab oratione spiritum nunquam relaxa-
 bat: Postquam vero Ferdinandus ejus-
 dem conjux Serenissimus mortalitatem
 exuerat, ejusque Filia natu minor no-
 mine Anna Mathiæ Hungariæ & Bo-
 hemiæ Regi, ac postmodum inaugu-
 rato Romanorum Imperatori nupserat,
 piissima hæc Vidua maternis, domesti-
 cisque curis propemodum soluta se ar-
 ctiori adhuc vinculo Dei, ac Sanctissi-
 mæ ejus Matris obsequio adstringere
 constituit, quocirca pretiosas vestes,
 gemmas, omnemque mundum mulie-
 brem deponens, & caput suum nigro
 peplo velut Virgo Deo sacrata obtegens,
 totum Aulæ suæ Palatium tam præclaris
 illustravit virtutum exemplis, sanctisque
 communivit legibus, ut non jam aulæ
 profanæ, sed Domus Deo dicatæ spe-
 ciem referret. Postea interno impulsu
 mota Oeniponte Sanctimonialium Vir-
 ginum Asceterium construere decrevit,
 ibidem in Divinarum rerum contem-
 platione reliquos vitæ suæ dies trans-
 actura. Tum vero insigni, cælestique
 favore roborata Princeps, accedente
 etiam Pauli V. summi Pontificis aucto-
 ritate

ritate ac consensu sese operi accinxit, Sæc. XVII.
 & quamvis Architectoriæ artis penitus A. C. 1621.
 ignara esset, manum tamen absdubio
 ducente supremo rerum omnium Archi-
 tecto monasterii ichnographiam in ta-
 bula, quæ hodiedum existat, juxta ar-
 chitectonicas leges exacte exarabat,
 positoque primo ædificii lapide, ut in
 altum exurgeret opus, omnibus modis
 urgebat. Paulopost alterum ordiebatur
 Monasterium, quod Domum Regula-
 rem vocant, in eadem Oenipontana
 urbe Virginibus & Viduis simul desti-
 natum, priorique contiguum, in quo
 postmodum unacum altera ejus Filia
 Anna Catharina solemnī votorum spon-
 sione sese penitus Deo consecrabat,
 transactisque novem annis, meritis
 plena non sine magna sanctitatis opi-
 nione animam Deo reddidit die tertia
 Augusti. Prius vero duobus hisce
 Asceteriis tertium adjecit pro Viris Re-
 ligiosis in principe ejusdem Civitatis
 suburbio ædificatum, in quæ tamen
 omnia tria hæc cænobia copiose dotata
 Sacrum Servorum Mariæ Ordinem intro-
 duxit, sicque Dei nutu atque consilio fa-
 ctum, ut per pientissimam hanc Archidu-
 cissam sacer hic Ordo in Germania quon-
 dam bellicis tumultibus exspirans, ite-
 rato refloresceret, in Provinciis præ-
 cipue hæreditariis Augustissimæ Do-

Bb 5

mus

Sæc. XVII. mus Austriacæ honorificentissime dif-
A. C. 1621. fufus.

§. CXXIV.

Diversæ Gregorii XV. Constitutiones.

*Bullar.
magn. Gre-
gor. XV.*

Postquam Gregorius XV. neo-electus Pontifex pro more illis, qui in hoc conclavi erant, privilegia indulserat, necnon universale Jubilæum ad divinam opem initio Pontificatus sui pro salutarî Catholicæ Ecclesiæ Regimine indixerat, quadam Constitutione die duodecimo Februarii edita Congregationem Siculam FF. Discalceatorum S. Augustini Italicæ esse unitam ratum habuit. Die autem decima quarta Maij Festum B. Thomæ a Villa nova cum Officio & Missa in universo S. Augustini Eremitarum Ordine solemniter celebrari indulfit, eandemque gratiam pro Festo B. Paschalis Baylon Fratribus Ord. S. Francisci concessit; universo autem Ordini Benedictinorum novum Hospitium & Gregorianorum Collegium Romæ, in quocunque loco voluerint, erigendi facultatem die septima Decembris dedit, annexis privilegiis totius Ordinis & Congregationum, etiam Cassinensis. Jesuitis autem die secunda Octobris indulfit, ut Officium & Missam de B. Aloysio celebrare valeant.

leant. Suppreffit etiam Pontifex Ec-
 clesiam Parochialem Sanctæ Cæcilie
 in Monte Jordano, illiusque redditus
 pro erectione duorum Canonicatum
 impendit: Alia Constitutione die de-
 cima Maij Ordinem militiæ Christianæ
 confirmavit. Die autem vigesima pri-
 ma Martii Congregationem B. V. Ma-
 riæ de Calvario ab Antonia Aurelia-
 nensi Longevillæa, direttore celebri P.
 Iosepho Capuccino, fundatam; Apосто-
 lico diplomate approbavit: Verum ce-
 teris omnibus longe celebratissima e-
 rat ejusdem Pontificis constitutio, qua
 deinceps summorum Pontificum electio-
 nem per secreta suffragia fieri, die de-
 cima quinta Novembris præcepit, hanc-
 que legem sequenti anno die duodeci-
 ma Martii per aliud decretum magis
 adhuc extendit: ambas vero Gregorii
 Constitutiones postea Urbanus VIII. die
 vigesima octava Januarii anno 1626.
 confirmavit, cunctosque Cardinales,
 ex quibus tum triginta septem Romæ
 erant, eo adegit, ut hunc eligendi mo-
 dum se inviolata lege servaturos, jura-
 to sponderent. Exin autem in Eccle-
 siam id emolumenti redundabat, quod
 in tali electione quivis Cardinalium li-
 bere suæ conscientie, ac voluntatis im-
 pulsus sequi posset, cum tamen antea
 suffragiis manifestato expresso eligendi
 nomi-

Sæc. XVII.
 A. C. 1621.

Sæc. XVII. nomine datis quandoque prævalida
A. C. 1621. quorundam auctoritas ceteros etiam
 invitos secum rapuisset. Præterea sum-
 mus Pontifex Congregationem Regu-
 larium Scholarum Piarum in veram Re-
 ligionem cum trium votorum sponfione
 evexit, eosque omnium privilegiorum
 aliis Mendicantium Ordinibus concef-
 forum die decima quinta Octobris par-
 ticipes reddidit. Denique summus Pon-
 tifex declaravit, quod Carmelitæ Di-
 fcalceati iisdem privilegiis, quæ Cle-
 mens VIII. eis die 13. Julii anno 1604.
 pro Perfidis Miffione concessit, etiam
 in illis locis, in quibus hæreses gra-
 fantur, & schismatici impune permit-
 tuntur, uti & frui valeant.

§. CXXV.

*Alia S. Congregationum decreta au-
 thoritate summi Pontificis
 emanata.*

*S. Congreg.
 Rit & Con-
 cil. Daniel
 hist de Fran-
 ce tom. 10.*

Exorto dubio circa prærogativam in-
 ter Doctores & Sacerdotes, sacra
 rituum Congregatio die trigesima Mar-
 tii decidit, quod præcedendi ratio in-
 ter Presbyteros ex Ordinis suscepti an-
 tiquitate, non autem ex Doctoratus
 gradu desumatur, eoquod Ordo sit lon-
 ge dignior, quam Doctoratus honor:
 resolvit quoque eadem die, quod si in
 com-

communibus Sanctorum suffragiis sit Sæc. XVII.
 facienda commemoratio de Cruce tan- A. C. 1621.
 quam de Titulo Ecclesiæ, sufficiat illa
 ordinarie in Psalterio recitari solita.
 Declaravit etiam die vigesima sexta
 Junii sacra Concilii Tridentini Congre-
 gatio, quod si cura animarum incum-
 bat Capitulo Cathedrali, atque a Ca-
 nonicis per *turnum*, ut vocant, exer-
 ceatur, tum qui hujusmodi Canoni-
 catum suscipit, teneatur lectioni ca-
 suum conscientiæ interesse; hujusmodi
 autem Canonici non examinentur pro
 Cura, cum admittuntur ad Canonica-
 tus, sed cum datur eis facultas audien-
 di confessiones. Die autem septima
 Augusti decisum, quod laicorum Con-
 fraternitates in supplicationibus præ-
 cedant Regulares, ac postremo dignio-
 rem locum occupent Clerici Sæculares:
 Canonici autem Protonotarii non lu-
 crentur distributiones quotidianas, nisi
 proprio habitu Canonicali intersint cho-
 ro, processionibus &c. Præcedentiam
 vero sacra Rituum Congregatio die vi-
 gesima quinta ejusdem Mensis digni-
 tatibus, & Canonicis habitu suo vesti-
 tis adjudicabat supra Generalem Vica-
 rium, declarans, contrariam consue-
 tudinem esse vetitum abusum. Die vi-
 gesima octava Septembris a S. Congre-
 gatione Episcoporum declaratum, quod
 Con-

Sæc. XVII. Confraternitas recens erecta supplica-
A. C. 1621. tionem eadem die & hora, qua anti-
 quior, celebrare nequeat. Decisum
 quoque die decima tertia Novembris,
 quod Episcopus Canonicus præcedat
 omnes Canonicos & Dignitates in Cho-
 ro, omnibusque actibus: cum autem
 in Elborensi Diæcesi quidam Regularis
 a Confessionibus excipiendis fuerit pro-
 hibitus, eo quod ab hæreticis originem
 traxisset, hinc mota quæstione, a S.
 Episcoporum Congregatione die deci-
 ma sexta ejusdem Mensis definitum,
 nullum propterea esse prohibendum &c.
 Hoc item anno longe celeberrima, Vi-
 risque omni pietate, ac scientiarum
 eminentia clarissimis fæcunda Bene-
 dictinorum Congregatio S. Mauri ur-
 gente ipso Galliarum Rege a Grego-
 rio XV. Papa fuit instituta.

§. CXXVI.

Henrici Sedulii, & Marcelli Pignatelli obitus.

*Aub. Mir.
 Script. Sæ-
 cul. XVII.*

Ex illis, qui ad Ecclesiæ utilitatem in-
 genii sui dotes editis lucubrationi-
 bus consecrarunt, & hoc anno vitæ
 suæ finem assecuti sunt, primo loco re-
 censendus venit Henricus Sedulius pa-
 tria Cliviensis, qui Ordinis Fratrum
 Minorum in Belgio Minister Provin-
 cialis,

cialis, vitæ ac disciplinæ monasticæ Sæc. XVII.
 severus, rigidusque Magister in vete- A. C. 1621.
 rum Patrum lectione potissimos vitæ
 suæ annos impendit, unde ea, qua e-
 ruditionis fama inclaruit, a Justo Lipsio
 aliisque sui ævi Viris longe doctissimis
 magni habitus, ipse quoque eruditas
 oppido lucubrationes posteris reliquit.
 Has inter præcipue commendatur
 ipsius commentarius *de præscriptionibus*
hæreticorum, & Apologeticum adversus
Alcoranum hæreticorum, quæ opera Ant-
 verpiæ, ubi etiam decessit, Plantinianis
 typis edita sunt. Præterea in Ordinis
 sui honorem conscripsit Elogia in SS.
 Imagines trium Ordinum S. Francisci,
 Vitas Sanctorum Ordinis sui, seu Hi-
 storiam Seraphicam, & descriptionem
 monasteriorum Germaniæ inferioris &c.
 Haud inferiori eruditionis laude præ-
 stans erat Marcellus ex illustrissima
 Pignatelliorum familia Romæ ortus,
 qui Clericorum Regularium Theatino-
 rum Ordinem, in quo pariter ex ea-
 dem propagine Fulvius, Pompæius
 vitæ Sanctitate conspicuus, Carolus,
 Michael, & Fabius numerantur, pro-
 fessus, Æsiensis Episcopus renuntiaba-
 tur. Scripsit epistolas Pastorales ad
 Clericos, & ad populum Æsiensem,
 necnon discursum de laudibus Pauli V.
 Pontificis Maximi.

§. CXXVII.

Sæc. XVII.
A. C. 1621.

§. CXXVII.

Francisci Agricolaë, Joannis Barclaii, & Ludovici de Montefinos extrema.

*Andr. Bibl.
Belg. Witte.
Diar. vita
Joan. Barcl.
Erythr. Nic.
Pinac. III.
cap. 17.*

Mensem Decembrem vitæ suæ postremum habebat Franciscus Agricola, Leoni in Juliacensi Ducatu natus: Hic Rodingæ, & postea Sitterii Parochus, ac Canonicus hæc eruditionis pietatisque suæ monumenta reliquit. I. Tres libros de æterno & vero Deo. II. Tractatum de Verbo Dei scripto & non scripto. III. De lectione Scripturæ Sacræ. IV. De Primatu Petri. V. De abominabili statu concubinariorum impœnitentium. VI. De lectione horarum Canonicarum. VII. Libros IV. Demonstrationum Evangelicarum. VIII. Speculum Biblicum. IX. Confutationem Anabaptistarum, pluraque alia.

*Vid. Supra
Lib. 186.
§. 209. pag.
749.*

Die duodecima Augusti Romæ obiit Joannes Barclaius celebris Guilielmi, cujus fata antea descripsimus, unicus Filius. Hic Mussiponti a Patre suo humanioribus literis erudiendus tradebatur Jesuitis, qui perspecta illius summa ingenii docilitate nil intentatum reliquere, ut in suo eum numero haberent, unde adeo concinnaverant aream, adeo quasi

cibum

cibum offuderant, ut nihil propius fuisset, quam Sæc. XVII.
 ut eum caperent, nisi ejus Parens rem odora- A. C. 1621.
 tus obsitisset, atque aucupum consilia di-
 sturbasset, eumque in Angliam condu-
 xisset, ubi septendecim annorum Ju-
 venis politioris latini sermonis peritia
 clarus commentarium in Statii The-
 baida edidit, ac de Jacobi I. Angliæ
 Regis inauguratione elegantissimum
 carmen, necnon primam partem sui
Euphormionis Lusinini Satyricon conscri-
 psit, quod perlectum Rex adeo proba-
 verat, ut Joannem apud se retinere
 statueret, opibus & honoribus locuple-
 tandum, quem tamen Parens, incau-
 tum juvenem hisce illecebris a Catho-
 licæ Religionis cultu abduci veritus,
 Parisios secum conduxit, eo autem fa-
 tis sancto, Joannes in Angliam ad Re-
 gem reversus est, perhonorifice exce-
 ptus, ubi tamen hujus Regni sectam
 saltem simulasse videtur, Regique in
 concinnando libro, cui titulus: *Funi-
 culus triplex & cuniculus triplex*, operam
 præstitisse dicitur: cognito autem Sa-
 lutis suæ periculo clam ex Anglia pro-
 fugit, atque a Paulo V. in victu, ve-
 stitu, aliisque necessariis liberaliter ha-
 bitus, librum seu *Parcesin ad Secta-
 rios* conscripsit. Quoniam vero Bel-
 larminus Patris sui librum *de potestate
 summi Pontificis in rebus temporalibus con-*
Hist. Eccles. Tom. LVII. Cc fu-

Sæc. XVII. futasset, hinc Parentis sui honorem vindicaturus, cum adhuc in Anglia hæreret, præter *seriem patefacti divinitus parricidii pulverarii*, necnon Apologiam sui Euphormionis, edidit librum, cui titulus: *Pietas, seu publicæ pro Regibus & Principibus, & privatæ pro Guiljelmo Barclaiio Parente vindicæ contra Cardinalis Bellarmini tractatum*: qui tamen liber anno Christi millesimo sexcentesimo decimo tertio die decima Maij, & antea die septima Decembris anno millesimo sexcentesimo nono ejusdem *Satyricon* ab Inquisitoribus Romanis proscriptum fuit: Vulgaverat insuper in Anglia librum, qui *Icon animarum* inscriptus est. Celebratur quoque ejusdem Authoris *Argenis*, in cujus lectione Richelius Cardinalis assiduus erat: Prostant etiam tria carminum volumina; insuper typis parata habebat opera de Hierosolyma a Christianis expugnata, necnon Historiam de Europa, quam tamen morte præventus perficere haud poterat.

Demum die septima Octobris sexagesimo octavo ætatis suæ anno decessit Ludovicus de Montefinos, Toletanus Theologiæ Doctör ac Professor, qui præter alia commentarium in primam secundæ Divi Thomæ conscripsit.

Sæc. XVII.
A. C. 1621.

§. CXXVIII.

*Francisci Picotti, Martini Hamconii,
& Petri Stevartii fata*

His addere lubet Franciscum Picot-
tum, qui Theologiæ Jurisque Do-
ctor præter observationem in Crispum
Salutium edidit salutationis Angelicæ
explicationem ex sententiis sanctorum
Patrum. Huic subjungimus Marti-
num Hamconium, qui cetamen Ca-
tholicorum cum Calvinistis, necnon
Theatrum Regum, Pontificum, &
Principum Frisæ vulgavit, præter tra-
ctatum de Viris rebusque Frisæ illu-
stribus. His celebrior erat Petrus Ste-
vartius Leodiensis Doctor, ac Theo-
logiæ Professor, & Ingolitadiensis Can-
cellarius, necnon Leodiensis Episcopi
Vicarius, qui commentarios in episto-
las D. Pauli & Jacobi, necnon oratio-
nem de colloquio Ratisbonensi publici
juris fecit: edidit quoque apologiam
pro Societate, & annotationes in li-
bros IV. Manuelis Calecæ adversus
Græcorum errores &c.

§. CXXIX.

*Joannis Marquez & Petri Arcudii
mors.*

Cc 2

Eo-

Sæc. XVII. Eodem hoc anno die vigesima septi-
 ma Februarii quinquaginta sex an-
 A.C. 1621.

Miræus
Script. Sæ
cul. XVII.
Dupin Bibl.
des Auth.
Eccl.

nos natus obiit Joannes Marquez Hi-
 spanus, ex Ordine FF. Eremitarum
 S. Augustini, Vir oppido clarus,
 totique Hispaniæ gratus, Theologiæ
 Doctor, & in Universitate Salmanti-
 censi Professor, qui etiam ob admira-
 bilem plane doctrinam cum summa e-
 loquentia conjunctam Philippo III. Hi-
 spaniarum Regi a Sacris Concionibus
 erat. Præter plurima alia, quæ niti-
 do calamo conscripserat, prodiit Hispano
 & Gallico idiomate ejusdem Prin-
 ceptus seu Gubernator Christianus, efforma-
 tus ex vita Moysis & Josue. Scripsit e-
 tiam Sermones in Psalmos 136. & 125.
 sive de duplici Statu Jerusalem, necnon
 commentaria in Librum Josue, & tra-
 ctatum de Origine Ord. Eremit. S. Au-
 gustini, quem Gabriel Pennotus con-
 futavit, & Franciscus Bivarius, nec-
 non Thomas Herrerea defenderunt.
 Pergrata etiam literatis est memoria
 Petri Arcudii natione Græci in Corcy-
 rensi Insula nati. Hic Romæ emenso
 studiorum curriculo a Clemente VIII.
 ad componenda populi dissidia in Ruf-
 siam ablegatus est, quo munere felici-
 ter peracto in latinæ Ecclesiæ utilita-
 tem tam indefesso studio laborabat, ut
 S. Missæ Sacrificium ritu latino cele-
 brandi

brandi facultatem ab eodem Pontifice Sæc. XVII.
 obtineret: tandem vero Romæ in Græ- A. C. 1621.
 corum Collegio vivere desiit. Scripsit
 eruditissimos commentarios de concor-
 dia Ecclesiæ Occidentalis cum Orien-
 tali præcipue circa doctrinam de Sacra-
 mentis: Vulgavit etiam duos tracta-
 tus de Purgatorio, & de igne Purga-
 torii contra Barlaam Monachum, præ-
 ter tractatum Joannis Vechi de proces-
 sione Spiritus Sancti: Plurimos etiam
 ex recentioribus Græcis Authoribus
 latinitate donabat. Observat Allatius,
 quod Arcudius nimis acerbo calamo
 Novatores infectatus sit, & catervatim
 omnia, quæcunque collegerat, sine
 selectu congerendo, ab argumenti sui
 scopo quandoque multum recesserit:
 Carpitur etiam, quod methodo & Scho-
 lasticorum opinionibus nimis pertina-
 citer inhæserit.

§. CXXX.

Quidam Scriptores e Societate de-
functi.

Eundem annum exitialem sibi habue- Alegambe
 re nonnulli ex Societate Scriptores, Bibl. Script.
 & primo quidem Georgius Eberhardus Soc. Mi-
 Monachii in Bavaria natus, qui quos- ræus l. c.
 dam tractatus de voluntate Dei, de
 SS. Trinitate, & de Angelis scripsit.

Sæc. XVII. II. Casparus de Zamora Hispalensis, A. C. 1621. qui concordantias S. Bibliorum & tractatum de duobus Alphabetis, altero distinctionum variabilium, & altero invariabilium Romæ typis vulgavit. III. Joannes Frayre Ulyssiponensis, qui Commentaria in IV. capita priora libri Judicum edidit.

§. CXXXI.

Nonnulli Scriptores ex Lutheri & Calvini secta mortui.

Die trigesima Martii sexagenario major decessit Joannes King Londinensis Pseudo - Episcopus, qui sermones suos, necnon Prælectiones in Jonam posteris reliquit. Hunc die vigesima Augusti sequebatur Richardus Meredith Oxoniensis Professor, postquam varia Theologica opuscula & conciones in sextum Micheæ caput vulgaverat. Jam supra memoravimus, Wenceslaum Budowitzium Baronem, Calvinistam condignas rebellionis suæ poenas dedisse. Hic idem conscripserat Synopsis historicam, typicam & mysticam, præter circulum horologii solaris & lunaris. Inter Puritanos sectæ suæ studio acerrimus Stephanus Egarthon de catechisatione, necnon de officiis erga Deum & Regem tractatus

tus quosdam edidit: Obiit etiam hoc ^{Sæc. XVII.} anno Franciscus Mafon, quem Angli ^{A. C. 1621.} Ecclesiæ Anglicæ vindicem deprædicant, eo quod præter varios sermones vindicias Ecclesiæ Anglicanæ de consecratione, & ordinatione Episcoporum edidisset. Præterea Andreas Lonnerus Præco Susatensis odio in Catholicos effervescens scripsit *positionem tertiam & postremam Assertionis nominis Catholici bis centum articulis comprehensam adversus Papistarum clamores: relegationem Jesuitarum ex omni bene ordinata Republica vi novem argumentorum demonstratam: Praxin Catechetica, homiliam de vera Ecclesiæ Evangelicæ concordia, præter tractatum de prædestinatione, necnon de Aqua sacra in cælo lustrali ex Apocalypsi c. 14. v. 13.* Crepuit die septima Januarii annos natus triginta sex. Eodem fanatici æstro percitus Fredericus Seagebär Lutheranæ sectæ Theologus præter Polemica, contra Catholicos edidit tractatum de septem spiritibus Apocalyptis. Die vigesima prima Martii in Anglia decessit Guilielmus Tooker, qui edidit certamen cum Martino Becano, necnon tractatum de chrismate, seu dono sanationis, & de fabrica Ecclesiæ, & beneficiis Clericorum. Edidit quoque Joannes Schræderus Norimbergensis Pastor Aphorismos

Sæc. XVII
A. C. 1621

mos Theologicos, tractatum de principio Theologico, & Judice supremo Controversiarum Theologicarum, præter Catechetica pluraque alia opuscula Theologica. Obiit die vigesima prima Januarii octogenario major Joannes Schopfius, qui dissonantiam Jesuiticæ doctrinæ a doctrina Christi, suam campanulam contra Tempestates, necnon dialogum de temporali vita, & gloria filiorum Dei Theutonico idiomate conscripsit, latino autem sermone edidit Academiam Jesu Christi. Præterea itidem ex Puritanis Henricus Jacob publici juris fecit defensionem Ecclesiarum, & ministerii Anglicani contra Franciscum Johnson, necnon institutionem Divinam veræ, visibilis, & materialis Christi Ecclesiæ, unacum tractatu de Passione, & victoria Christi. Denique in Polonia Jacobus Zaborovius Calvinista tractatum de missione Sacerdotum in Ecclesia Romana contra Smiglecium Jesuitam, necnon responsionem ad nondum Gordium ejusdem Smiglecii de vocatione Ministrorum edidit: Scripsit etiam tractatum de anima ignis cum aqua, ubi unionem cum Arianis sive Socinianis iniri haud posse, demonstratum ibat.

§. CXXXII.

Sæc. XVII.
A. C. 1621.

S. CXXXII.

Joannis Arndii & Danielis Chamierii interitus.

Singularia Arndii & Chamierii fata *Osiand. l. 3.*
 specialem mentionem deprecere vi- *Mem. c. 26.*
 dentur, & quidem Joannes Arndius, *pag. 594.*
 Cellensis Superintendens a quibusdam *Arnold.*
 tanquam Vir miraculis clarus depræ- *Hist. Hæret.*
 dicatur, ab aliis ad inferni abyssum de- *p. 2. l. 16.*
 truditur: Vix librum suum *de vero Chri-*
stianismo ediderat, cum Witenbergen- *cap. 16.*
 ses, Jenenses, & Argentinenses ob fi- *Vareni Ret-*
 dei puritatem, & doctrinam divina un- *tung der vier*
 ctione plenam ad sydera usque illum *Bücher*
 extollerent, ac putido etiam commento *Arnds.*
 ipsius librum, cui titulus: *Hortulus pa-*
radisi ex igne illæsum prodiisse referrent:
 E contrario autem alii eundem voca-
 runt *Sanctum Diabolum*, & hæreticorum
 nequissimum, imo Joannes Corvinus
 Gadanensis Præco ex suggestu ad po-
 pulum hæc verba protulit: *Diabolus*
Arndio suam reddet mercedem: nollem ego
eo deportari, ubi ipse post mortem suam
raptatus est: ipse etiam Magister Wal-
therus calamum suum adversus Arn-
dium acuere parabat: Lucas quoque
Osiander, etsi ipsemet secta Luthera-
nus esset, Arndii tamen libros veneno
hæretico imbutos, pestilentes, puro

Cc 5

Evan-

Sæc. XVII. A C. 1621. Evangelio contrarios, Papismo, Calvinismo, Flacianismo, Schwenckfeldianismo, Weigelianismo &c. turgidos detestatur, eosque sine salutis periculo a simplicioribus haud legi posse affirmat. Taceo acerbissimas censuras, quibus ejusdem libros Roscius, Cramerus, Menzerus, Rango, Schelwigius & nonnulli alii recentiores proscripserunt, cunctosque, qui Aradium non infectarentur, tanquam hæreticos, & infames traduxere: quinimo miles quidam stricto pugione Aradium e suggestu declamantem invasit, dicens: *cur Verbum Dei non doces?* ipse etiam Aradius in epistola ad Consulem Brunvicensem queritur, quod publice & coram universo populo tanquam hæreticus, jocular, Sectarius, rudissimus & stupidissimus Asinus, & a fidei populo fugiendus a suis Collegis fuerit traductus: Enimvero, cum Calvinii sectam tradere recusaret, ex patria sua Anhaltino Principatu exulare iussus est. Obiit demum die undecima Maii: Præter jam recensitos libros scripsit Evangeliorum explanationem, sermones in Psalmos, tractatum de unione credentium cum Christo Capite Ecclesiæ, pluraque alia.

Gramond.
Hist. Franc.
lib. 10.

Alter erat Daniel Chamierus Montalbensis Pastor, homo audax & seditiosus,

tiosus, qui minus erat in Ecclesiæ mu- Sæc. XVII.
 nis versatus, quam in aulicis artibus, A. C. 1621.
 quibus etiam solebat Calvinistarum
 tentare & enervare Synodos atque
 consilia: Hic tempore, quo Rex Fran-
 ciæ Montalbanum obsederat, rebelli
 militi adversus Regem suum animos
 additurus, seditiosa concione in Tem-
 plo habita de Regiis copiis differens
 finierat in hæc ipsa verba, quæ distin-
 cta ter voce repetiit: *Non ingredientur
 urbem Regii*: ipsemet vero thorace fer-
 reo, hastaque militari ad manum ar-
 matus in aggeres & valla tanquam
 gregarius miles descenderat, ubi ta-
 men, licet propugnaculo tectus esset,
 tormenti globo, qui litera C. erat si-
 gnatus, in frustra discerptus est, vix
 agnito, unde & qua immissa esset pila.
 Hunc ergo exitum habuit parum con-
 venientem seditiosus hic Vir, qui dun-
 taxat pertinacis rebellionis nomine a-
 pud suos aura populari plurimum va-
 lebat: Erat etiam blasphemus in Chri-
 stum Dominum, dum Filium Dei, quem
 Verbum & imaginem Patris sui non
 proprie sed metaphorice dici pronun-
 tiabat: Acriter insuper insectabatur Ca-
 tholicos, ac Nemausii cum P. Cotono
 disputabat: Scripsit suam *Panstratiam Ca-
 tholicam*, corpus Theologicum, epistolas
 Jesuiticas, necnon tractatum de *Oecume-
 nico Pontifice*.

HISTO-